



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1706**

Titulus XXXVIII. De Pœnitentiis & Remissionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)



# TITVLVS XXXVIII.

## De Pœnitentiis & Remissionibus.

**V** Indicativis succedunt Pœnæ Ecclesiæ Medicinales: & ad hanc quidem Rubricam Pœnitentiæ sive satisfactioes, præsertim quæ fidelibus Pœnitentiæ Sacramentum obeuntibus in foro Conscientiæ interno imponuntur, earumque Remissiones.

### ARTICVLVS I.

#### De Sacramento Pœnitentiæ.

#### SUMMARIUM.

1. Pœnitentia etymon & significatio.
2. Ejus definitio, ut Virtus, & ut Sacramentum est.
3. Sacramentum post Resurrectionem institutum est à Christo.
4. S. Petro & reliquis Apostolis conferente potestatem Clavium.
5. Per modum Judicij exercendam.
6. Ejus Forma est Sacerdotis absolutio.
7. Materia remota sunt hominis baptizati peccata Actualia.
8. Etiam venialia, & jam semel remissa.
9. Proxima verò Contritio & Confessio pœnitentiæ.
10. Satisfactio pars ejus tantùm integralis est.
11. Sacramentum hoc in peccatum lapsò medium ad salutem necessarium est.
12. Saltem susceptum in voto.
13. Ex præcepto divino obeundum est in articulo mortis:
14. Imò etiam extra istius periculum.
15. Certum tempus ei non præfixum Divinò:
16. Ecclesiastico autem Jure obeundum semel in anno est.
17. Etiam à conscientio peccati merè interni:
18. Non tamen à conscientio solius venialium:
19. Qui tamen de statu suo Sacerdotem edocere tenetur.
20. Etiam pueri obligantur ad annuam confessionem:
21. Quæ de Jure obiri potest quòvis ætatis anni:
22. Ex consuetudine Paschali tempore peragi debet.
23. Et ultra id dilata omitti nequit.
24. Confessione invalida, præcepto satisfieri, asserentium.
25. Et negantium verior doctrina.
26. Eam omitentes privantur sacrâ sepultura.
27. Et alicubi in eos lata est excommunicatio:
28. Quæ confessione solùm ficta non evasatur.

R e e

Pœnitenti-

1. **P**oenitentia, si nominis etymon, vel Punctionem seu poenae sententiam, secundum S. Augustinum *Lib. de Vera & falsa Poenit. cap. 10.* & Isidor. *Lib. 3. Etymolog. cap. ult. vel, secundum Graecam vocem πενίτιον, Conversionem seu mutationem mentis in homine, praeterita peccata sua plangente, can. 1. dist. 3. si vero frequentiore ejus utrum spectemus, aliquando denotat specialem, & à cæteris omnibus distinctam virtutem: aliquando unum ex septem novae Legis Sacramentis: aliquando satisfactionem pro peccatis impositam vel exhibitam, Sylvester *V. Poenitentia, n. 1.**

2. Pro Virtute accepta ad mentem D. Thomae 3. p. q. 85. art. 1. & 3. est Detestatio seu dolor animi de peccato commisso, quatenus est offensa sive injuria illata Deo, ex intentione eam compensandi: sive, ut eodem sensu aliqui non male dicunt, est Habitus inclinans ad actum, quò detestamur peccatum commissum, de eoque dolemus, quatenus eò Deus à nobis offensus est, ex intentione eam abolendi & compensandi, sive pro ea satisfaciendi.

Prout Sacramentum est, Poenitentia esse dicitur Sacramentum reconciliationis cum Deo post lapsum personalem, institutum per modum iudicii: sive Sacramentum, quò peccata, post Baptismum commissa, & legitimo ministro cum detestatione & dolore debito manifestata, virtute Clavium seu Sacerdotalis absolutionis desentur. Quod Sacramentum, ut cætera Novae Legis, à Christo Domino institutum esse, definitio est Oecumenicorū Conciliorum, Florent. *Sess. ult. in Decreto Unionis & Trident. Sess. 14. can. 1. & 2.*

3. Institutum autem ab ipso est post suam Resurrectionem, Joan. *cap. 20. V. 22.* ubi discipulis suis apprensus, insufflavit & dixit eis, *Accipite Spiritum sanctum: quo-*

*rum remisistis peccata, remittantur eis, & quorum remiseritis, retenta sunt: quibus Apostolorum in terris potestas est completa; cum enim ipsis in ultima Cæna sacerdotiò jam initiatis, in corpus suum verum, sive hoc per consecrationem conficiendi contulisset potestatem, post Resurrectionem suam eisdem apprensus adjecit alteram, ipsisque cum regni cælorum Clavibus Matth. *cap. 16. V. 19.* promissam potestatem concessit in corpus suū Mysticū, quod fideles constituunt, sive istos in peccatum lapsos iudiciariā potestate absolventi & sanctificandi. Unde, de Sacerdotibus, Apostolorum in ea potestate successoribus, loquens S. Hieronymus *Epistol. 1. ad Helidor. Apostolico*, inquit, *gradus succedentes Christi corpus sacro ore consciunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves regni cælorum habentes, quodammodo ante diem iudicii iudicant.* Similia habent SS. PP. & Ecclesiae DD. alii, ut observat S. Synodus Tridentina *Sess. cit. cap. 1. ubi cit. cap. 20.* relatum Christi *Insigni factio & verbis tam perspicuis potestatem remittendi & reserendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos Apostolis & eorum legitimis* (in ordine Sacerdotali) *successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum sensus semper intellexit.**

4. Quoniam autem Sacramentum hoc Fidelibus administratur per modum iudicii, sicut alia iudicia Criminalia, sic etiam ipsum rei accusationem & iudicis sententiam requirit. Accusationem constituit dolor & confessio ipsius poenitentis, peccata sua cum proposito non peccandi de cætero detestantis & Ecclesiae clavibus subijcientis: ex quibus actibus dolor & confessio peccatoris istius Sacramenti Materia: Forma autem est absolutio Sacerdotis, secundum *cit. Sess. cap. 3. §. 6.* quæ etiam tribuit effectum principalem sive re-

Ve remissionem culpæ: cujus tamen reatu absolutionis virtutē jam deletō & sublatō; quia reatus pœnæ istiusve pro peccato subeundæ obligatio remanet, ad istius ac proinde peccati plenam & perfectam destructionem ex parte pœnitentis ultra dolorem & confessionem exigitur satisfactio: quā etiam pœna temporalis ad eamque subeundam obligatio tollatur, *citr. Suarez Disp. 38. f. 1. n. 3. Laiman Lib. 5. tract. 6. cap. 3. n. 6. & Palao Tract. 23. disp. Univ. p. 4. n. 11.*

7. Sicut autem reliquorum, sic etiam Pœnitentiæ Sacramenti materia alia Remota, alia Proxima est: & Remota quidē, circa quam Sacramentum hoc &, tam dolor & confessio ipsaque satisfactio pœnitentis, quā Sacerdotis absolutio versatur, sunt omnia peccata actualia commissa post Baptismum, ex doctrina S. Thomæ *citr. p. 3. q. 84. art. 2.* & definitione Concilii Tridentini *Sess. cit. can. 1. & cap. 2. Commissa*, inquam, *post Baptismum, & Omnia.*

Prius; quia peccatum Originale non propriā, sed alienā voluntate commissum est: ad quod delendum à Christo Baptismus: Pœnitentiæ autem Sacramentum ab eo institutum est in remedium peccatorum propriā voluntate commissorum. Cui non obest; quōd, cum Baptismus validē quidem suscipitur, sed ob defectum debitæ dispositionis & gratiæ obicem positum, informis est, eum suscipiens neque Originalis, neque Actualium peccatorum antē commissorum remissionem consequatur per ipsum, sed per contritionem aut Pœnitentiæ Sacramentum postea susceptum; quia hoc per accidens, & ideo fit, quōd Sacramentum hoc debitē suscipiendō indispositio & gratiæ obex tollatur, ut rectē observat *citr. Palao p. 5. n. 1.*

8. Posterius; quia hujus Sacramenti materia sunt non solum mortalia, sed ve-

nialia quoque, & ea etiam peccata, à quibus pœnitens jam semel fuit absolutus, eō tamen discrimine; quōd mortalia eō ipsō, quōd pro remissione Ecclesiæ clavibus subijci debeant, necessaria, *Sess. cit. can. 7. & cap. 5.* venialia autem & mortalia, à quibus absolutio semel impetrata jam fuit, sufficiens sive idonea duntaxat hujus Sacramenti materia sint, *Extravag. 1. inser. com. de Privileg.* cum de iis, sicut pœnitens iterum dolere seque accusare, sic eum confitentē absolvere possit sacerdos: ut luculenter docet praxis fidelium, ad majorem sui confusionē, ad uberiores gratiæ plenæque remissionis pœnarum temporalium consecutionem, ad reliquarum peccati omnimodam abolitionem non solum instituentium confessiones annuas, & de omnibus totius vitæ antea actæ generales: sed per pœnitentiā jam expiatæ vitæ peccata quædam salubriter repetentium, ad evitandum periculum nullitatis Sacramenti, cum ambiunt, an alia, de quibus se accusarunt, vel commissa, aut vera peccata etiam venialia, ac proinde certa absolutionis materia sint, *citr. Suarez Disp. 18. f. 1. n. 12. Laiman cap. 3. n. 5. & Palao p. 6. n. 4.*

9. Proxima hujus Sacramenti Materia, secundum decreta *citr. Conciliorum Florent. §. Quartum, & Trident. Sess. cit. can. & cap. 3.* sunt actus ipsius pœnitentis, Contritio & Confessio cum Forma ejus essentiam constituentes, & satisfactio id integraliter perficiens, S. Thomas *citr. p. 3. q. 84. art. 2. & Suarez Disp. 18. f. 3. n. 3.* Ratio de contritione & confessione est; quia Sacramentum hoc institutum est per modum judicii criminalis: quod essentialiter exigit accusationem rei, eive succedaneam inquisitionem sive manifestationem delicti: quæ cum in Pœnitentiæ Sacramento ordinetur ad consequendam culpæ remissionem, ut hanc mereatur, *ur, age*

aur, necessariò esse debet dolorosa; cum simpliciter & sine ullo dolore seu cordis contritione facta, historica potius narratio sit, quam sui accusatio ordinata ad obtinendam remissionem. De satisfactione autem; quòd ad criminalis iudicii integritatem & plenam consummationem pertineat poenitentia, reo injungenda ad delicti vindictam & temporalis poenae abolitionem.

11. Haecenus paucis declaratum Poenitentiae Sacramentum, vel in re, vel in voto omnibus, qui post Baptismum vel in isto mortale peccatum commiserunt, necessarium est necessitate Medii sive ita; ut huiusmodi peccati reus absq; illò, licet inculpabiliter omisso vel ignoratò, remissionè & salutem aeternam consequi, secundum ordinariam Dei Legem non possit, ut desumitur ex illo, *Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis* Lucae cap. 13. v. 3. & ex definitione Trident. *Sess. cit. cap. 4. & can. 5.* Ratio est, quia *Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium est, ut nondum regeneratis ipse Baptismus*, verba sunt ejusdem *Sess. cap. 2.* his autem Baptismum, in re; aut votò susceptum, secundum ordinariam Dei legem ita necessarium, ut sine eo, licet inculpabiliter omisso vel omnino ignorato, salutem aeternam consequi nemo valeat, Catholica & à *citt. Concilii Florent. §. Primum*, & Trident. *Sess. 7. can. 5.* definita veritas est, juxta illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, Joan. cap. 3. v. 3. *citt. S. Thomas q. 86. art. 2. & Suarez Disp. 17. §. 2. & 3. n. 3.*

12. In re, inquam, vel in voto, sive Sacramentò hoc susceptò, vel ejus suscipiendi desiderio ac proposito: quòd in dilectione Dei super omnia contritionèque Charitate firmata continetur: quia ante istius Sacramenti actualem receptionem gratia

Divina recuperari potest elicitò actu peccatae contritionis vel amoris Dei super omnia, secundum ejusdem S. Synodi *Sess. 6. cap. 14. & Sess. 14. cap. 4.* ut, si quis peccata sua actu confiteri inculpabiliter non valeat, ejusmodi actus virtute justificatus aeternam salutem nihilominus consequatur.

Propter hanc ejus necessitatem fideles peccati mortalis reos, ad istius Sacramenti usum Divinò præceptò obligari, communis sensus est T. T. & dogma Synodi Tridentinae *citt. Sess. 14. cap. 5.* id defumentis ex ipsa ejus institutione, quam cap. 1. à Christo factam asseruit verbis, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* Jo. cap. 20. v. 22. vi cujus præcepti quilibet mortalis peccati conscientiam habens ab iisdem ad peccatorum suorum confessionem saltem obligatur in articulo seu probabili periculo mortis, undecunque, etiam ex sententia iudicis imminentis, Suarez *Disp. 15. §. 6. n. 1.* & melioris notæ T. T. plerique, teste Palao *disp. Univ. cit. p. 3. n. 7.* & Stoz *Tribunal. Penit. p. 3. q. 1. art. 3. n. 12.* ut meritò ejus observantiam commendans & urgens Innocentius III. in Concilio Lateranensi, c. *Cum infirmitas* 13. relatò, medicis corporum, ad aegros periculosè decumbentes vocatis, non solum sub excommunicationis interminatione prohibuerit; ne pro corporali salute aliquid eis suadeant, quòd in periculum animæ convertatur, v. g. procuracionem abortus vel pollutionem: sed insuper præceperit; ut aegros per se vel alios moneant & inducant ad vocandos medicos animarum: huiusque suæ ordinationis transgressores usque ad competentem satisfactionem ab Ecclesiae ingressu voluerit arceri. Cui saluberrimæ sanctioni inharens Pius V. *Constitutione*, quæ incipit *Super gregem*, edita 1566. ita decumbentium

Bentium visitationem ultra diem tertium iisdem vetuit: nisi de peccatorum confessione peractâ ipsis fides à confessario in scriptis fiat, vel confessarius ex iusta causa infirmo longius tempus concedendum iudicet. Præterea Universitatibus & Collegiis Medicorum, gravissimis pœnis in transgressores statutis, præcepit; ut, cum medendi Licentiam vel Doctoratus gradum alicui conferunt, ab ipso de hac sua constitutione observanda exigant juramentum, Navarrus *Manual. cap. 25. n. 61.* Quaranta in *Summa Bulgar. V. Medicus*, & Wagnereck in *Exegesi e. cit.* ubi tamen, Piam hanc Constitutionem Germaniæ nostræ usu nunquam receptam vel non-usu, magno animarum detrimento, abolitam monet.

14. An extra articulum & periculum mortis Sacramentum hoc obeundi obligatio aliquando in vita, & quando deetur, dubium & ancipitis resolutionis controversia est: in qua, sicut id à mortalis peccati sibi concisus non differri, sed quamprimum comodè possunt, obiri consultiſſimum esse, agnoscunt omnes, qui SS. Patrum & ipsarum etiam Sacrarum paginarum, peccatores ad agendam & de die in diem non differendam pœnitentiam excitantium, sententias præ oculis habuerunt. Non desunt tamen maximi in sacra Theologia nominis DD. qui Pœnitentiæ, statim, imò extra periculum illud agenda, præceptum dari negent; quòd tam de præcepto, quàm de tempore ejus executioni extra periculum mortis à Christo determinato non satis consistet.

15. Sed esto, certum tempus à Christo designatum non sit, eam tamen etiam, seclusâ Eccl. siasticâ, & Divinâ solùm lege spectatâ, diu v. g. ultra tres quatuorve annos differri sine peccato non posse, existimo. Moveor autoritate Sacrarum

paginarum, non solùm peccatores à pœnitentiæ procrastinatione dehortantium, *Ne tardes converti ad Dominum: & Ne differas de die in diem; subidè enim veniet ira Dei: Ecclesiast. cap. 5. v. 8.* sed ejus dilationem præsertim usque ad articulum mortis, tanquam vocationis gratiæque & amicitie Divinæ vilipensionem & contemptum severè reprehendentium, *Vocavi & renuisti &c. despexistis omne consilium meum & increpationes meas neglexisti. Ergo quoque in interitu vestro ridebo, Proverb. cap. 1. v. 28.* & ad Roman. cap. 2. v. 4. quò loco Apostolus, *An ignoras, inquit, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm duritiam tuam & impenitens cor thesaurizas tibi iram in die ira:* quibus verbis pœnitentiæ dilatione Dei, peccata vindicantis, iram & ipsa peccata augeri; ac proinde, illius dilatione gravi culpâ non vacare, insinuat. Consonant SS. PP. & Ecclesiæ DD. Gregorius, cujus *Homil. 11. in Ezech.* notatu digna sententia est, *Peccatorem Deus diu expellat, ut redeat: Non redeunti atque contemnti, in pœn. m. peccati, pœnitentiæ dilatione commissi, Offendiculum ponit, ubi gravius impingat.* S. Augustinus Pœnitentiam seram, infirmam & periculosam vocans, *Sermon. 57. de Temp. Pœnitentia que ab infirmo petiur, infirma est: qua autem à moriente petiur, timeo, ne & ipsa moriatur.* Unde ad Fratres in Eremito *Serm. 71. Satis, inquit, alienus est à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus senectutis expectat.* quibus similes SS. PP. sententiæ passim obviæ sunt. Id ipsum persuadet ratio; quia magna hominis inordinatio est, diu & præsertim ad vitæ exitum voluntariè carere amicitia & gratiâ Divinâ, eamque, cum facillè posset, nolle recuperare: sed potius perseverare in statu peccati, iræque Dei & æternæ damnationi

mationi obnoxium manere cum morali periculo istius incurrenda; quia in peccato mortali diu persistens se exponit manifesto periculo novi peccati, eo ipso; quod homo sine gratia sanctificante a novo peccato diu se non contineat, juxta definitionem Concilii Milevitani *can. 3.* Et perpetua indurationis atque impenitentiae finalis, secundum textus *citr.* Quare peccator dictum sibi existimet illud S. Augustini, *Age penitentiam, dum sanus es: si sic agis, dico tibi; quod securus es; quia penitentiam egisti eo tempore, quod & peccare potuisti: si autem via agere penitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.* Ex his modo quidem iudicio satis constat de Poenitentiae praecipito Divino.

Neque obstat; quod ejus executioni designata non sit certa dies vel tempus, cum; quia etiam Deum colendi praecipitum Naturale ante legem Mosaicam; & hodie Fidei & Charitatis actus eliciendi obligatio datur, quantumvis ante legem illam cultui Dei, & hodie actibus illis eliciendis dies aut tempus certum non sit determinatum: tum verò; quia, sicut Sabbathi dies Divino cultui in Decalago à Deo, sic ab Ecclesia Poenitentiae agenda tempus determinatum est à Concilio Lateranensi *cap. 21.* & confirmatum à Tridentino *Sess. 14. cap. 5. & can. 8. de Sacram. Penit.* quorum Conciliorum priori, *c. Omnia utriusque 12.* relato, statutum est, *Omnia utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio sacerdoti, & injunctam sibi penitentiam propria viribus studeat adimplere: cujus famosissimi decreti, sicut obligatione fideles, usu rationis praeditos, affici, & impletione etiam praecipita Divina de Po-*

nitentia diu non differenda satisfieri, satis exploratum: sic

Dubium est, an eò praecipitum annuam confessionem obire teneantur fideles sibi conficii peccati merè interni & venialis; interni enim solius reum ad illam obligari, negasse fertur Margarita Confessorum *V. Confessio*, quod Ecclesia careat potestate in actus merè internos; Verum; quia *c. Omnis cit.* relatum Ecclesiae praecipitum de confessione annuae actu non merè interno, & praecipitum de agenda poenitentia Divinum indubitata etiam ad cogitationis merè interna peccata se extendit, singularem Margaritae Opinionem temeritatis meritis arguit Suarez *Disp. 36. s. 2. & c. cit.* praecipitum annuae confessione peccata etiam interna affici, indubitata docet cum Navarro in *can. Fratres 8. dist. 5. de Penit. n. 59.* cum propter communem Ecclesiae sensum & ulum fidelium *c. cit.* de internis etiam peccatis accipientium: tum verò propter *c. Omnis cit.* fidelibus peccatorum suorum simpliciter omnium, ac proinde internorum quoque, confessionem praecipientis generalitatem.

Propter hanc rationem, venialis duntaxat peccati sibi conficiam annuae confessionis praecipitum Ecclesiasticò teneri, cum S. Bonavent. in *4. dist. 17. art. 4. q. 1.* & Alensi *p. 4. q. 77. memb. 1. art. 1. & 2.* existimat Fagnanus in *c. Omnis cit. à n. 14.* pro sua hac Opinione allegans D. Thomam *cit. dist. 17. q. 3. art. 1. q. 3.* Sed contra aliorum DD. sensum communem & PP. Tridentinos *cit. Sess. 14. cap. 5. & can. 7.* disertè asserentes, peccata venialia taceri citra culpam posse, & multis aliis remediis expiari. Quod verum non esset, si eorum tantum alicujus sibi conficiam annuae confessionis praecipitum Ecclesiasticò adstringeretur. Quare melius, istò ejusmodi fidelem adstringi, cum

Sylvestro

Sylvestro 7. *Confessio* 1. n. 14. Soto *dist.* 18. q. 1. art. 3. & aliis negant *cit.* Suarez *f. 2. n. 8.* & Laiman. *cap. 5. n. 12.* pro se ipsi quoque allegantes D. Thomam *ibid. dist. 16. q. 2. art. 2. q. 3. c. Omnis cit.* propositum Concilii Lateranensis præceptum de peccatis solum mortalibus exaudiendum, asserentem: quod etiam ratio evincit; quia Concilii Lateranensis PP. intentio non fuit peccata confitendi obligationem omnino novam imponere: sed ei, quæ præcepto Divinò imposita jam erat, determinare certum tempus, ultra quod confessionem differre non liceret, ut Trident. *cit. cap. 5.* declarat: præcepto autem Divinò mortalis duntaxat peccati confitendi, ad Pœnitentiæ Sacramentum adstringuntur.

9 Sed, licet præceptum etiam Ecclesiasticum hos tantum urgeat, constans tamen fidelium sensus & usus ad confessionem annuam indiscriminatim omnes vel obligat vel seriò adhortatur; cum nemo facile sit, qui hominis eam ultra annum differentis factò non offendatur: non solum; quòd Sacramentalem gratiam negligat: sed etiam ac multò magis; quòd, qui sine Pœnitentiæ Sacramenti usu toto anno ab omni peccato mortali abstinent, vix reperiuntur; & qui de venialium expiatione parùm solliciti sunt, facile prolabantur in mortalia, eorùmque commissorum obliviscuntur. Unde, qui sub prætextu immunitatis à culpa gravi confiteri nollit saltem ad fidelium scandalum & excommunicationem evitandam tempore Pascali, quò annuæ confessionis præceptum Ecclesiasticum urgeri solet, proprio suo Pastori ab eòve delegato se sistere, eive conscientiæ suæ statum in genere declarare deberet, ut cum *cit.* Suarez *n. 9.* monent Laiman. *n. 12.* & Palao *Tract. 29. disp. unic. p. 20. §. 2. a. 5.*

Dubium secundò est, an confessio- nis annuæ præceptò teneantur etiam putri. Eos enim ante 12. ætatis annum teneri, cum Hostiensi & Anchorano *in c. Omnis cit.* negat Sotus *in 4. dist. 12. q. 1. art. 11. in fine.* Sed contra DD. commune iudicium & Regulam Concilii Lateranensis, fideles utriusque sexus generaliter omnes, postquam ad annos discretionis pervenerint, hoc est, doli capaces inter bonum & malum discernere sciverint, ad peccatum mortali, si quæ commiserunt, annuam confessionem obligantis, *c. Omnis cit.* Cum ergo peccatum mortale doli capacitate & discretionem inter bonum & malum supponat, quicumque illius conscientiam habent, quacunque ætate sint, confessionis annuæ præceptò tenentur, sicut tenentur Divinò, cujus illud determinatio est.

21. Dubium tertio est de anni tempore, quò confessio est peragenda. Ratio dubitandi est, quòd ei certum tempus à Concilio Lateranensi determinatum non sit. Unde, licet communis omnium sensus sit; ejus præcepto satisfieri, si *c. cit.* præcepta communioni Pascali præmittatur: dissensio tamen inter DD. est, an tempus Paschale etiam ipsi præfixum sit; quod statuenti Petr. Soto *de Confess. lect. 5.* favet non tantum consuetudo Confessionem peragendi in Quadragesima; quæ, testante eamque tanquam piam approbante & amplectente Trident. *cap. 5. cit.* in universa Ecclesia obtinuit & perantiqua est, *can. In capite 58. dist. 50.* sed etiam textus *Extravag. Vices 2. de Treuga & Pace* ubi Sixtus IV. parochianos ad peccatorum confessionem in Paschate faciendam obligari: idque Jure, scilicet *c. Omnis cit.* præceptum, ait. Unde parochiarum Rectores hodie à subditis suis exigere solent testimonium Confessionis Pascalis, & istius non peracta convicti à magi-



à magistratibus graviter solent puniri.

22. Nihilominus frequentiori calculò & meliori quoque ratione RR. plerique annua Confessione paschale tempus determinatū *c. Omnis cit.* negant; ac proinde, sicut præcepto audiendi Missam Dominicis festisque diebus quacunque ejusmodi diei horâ, ita quocunque anni tempore peccatâ peccatorum confessione præcepto ejus Ecclesiastico satisfieri, docent cum Navarro *Manual. cap. 2. n. 9. Soto in 4. dist. 18. q. 1. arr. 4. concl. 1. Sâ V. Confessio n. 4. Suarez cit. disp. 36. n. 2. Laiman. cap. 5. cit. n. 10. & alii.* Moventur variè; quòd *c. cit.* textus aliter loquatur de Confessione, & aliter de Communione: & illam quidem, *Saltem semel in anno*, absque ulla temporis determinatione obiri: istam verò *Ad minus in Pascha*, determinatè, nisi proprius sacerdos ob rationabilem causam eâ ad tempus abstinendum duxerit, reverenter suscipi præcipiat. Ex qua decreti differentia Paschale tempus Communioni duntaxat à Lateranensi Concilio determinatum, clarè desumitur.

Neque Paschalis Confessionis præceptum dari persuadet *cit. Extravag. textus*; quia eò Confessionis præceptum non imponitur: sed refertur impositum à Concilio Lateranensi *c. Omnis cit.* præcipiente Confessionem *Annua*, non *Paschalem*; & hujus mentionem ideò solum faciente; quòd eo tempore præcepta Communioni tanquam dispositio soleat præmitti.

Majorem vim habet consuetudo; hæc enim Confessione, *c. cit.* semel in anno duntaxat sine temporis determinatione præcepta, Paschale tempus determinavit; ut confessio, quæ ex Jure scripto solum annuatim, ex non scripto sive consuetudine, Paschali, sive eo tempore, quò accedendum ad S. Communionem,

etiam ipsa sit instituenda: qui verò, cessante legitimo impedimento, eam tali tempore non instituit, transgressor habeatur: & qui post eam, tempore Paschali jam peractam, labitur in peccatum mortale, istius confessionem usque ad sequens Pascha valeat differre. Ita Medina *de Pœnit. q. 18.* quem Suarez *cit. f. 3. n. 1.* refert & non obscure sequitur *n. 9.* Ratio est; quia ex una, consuetudo habet vim legis, ut istius instar novam obligationem introducere, & lege, sine temporis determinatione, introductam, certo tempore valeat alligare; ex altera verò parte, confessionem annuam à Concilio Lateranensi semel in anno sine certi temporis determinatione introductam, Paschali alligatâ esse, eò ipsò videtur; quòd, eotempore imminente Confessionis peragenda admoneri: & elapso, peccatâ ab omnibus etiam iis, qui ad S. Communionem accedere nequeunt, exigi testimonium: & negligenter omisâ rei à fidelium communionem aut aliter soleant puniri. Quam Ecclesiæ consuetudinem, tanquam piam & meritò retinendam, probat & amplectitur Trident. *cit. cap. 5. in fine.* Unde

Qui à sacra confessione Paschali tempore obeunda legitime fuit impeditus, eamve culpabiliter intermisit, quamprimùm commodè potest, confiteri tenetur; quia tempus istud, sicut scriptò *c. Omnis cit.* Eucharistiæ reverenter sumenda, sic non scriptò sive consuetudinariò Jure obeunda peccatorum confessioni præfixum est, tanquam terminus obligationis implenda; non finienda, ut cum Medina *cit. q. 18.* Navarro *Manual. cap. 21. n. 45.* Suarez *f. 4. n. 2.* & aliis advertit Laiman. *cit. cap. 5. n. 9.* quò locò etiam ad confessionis anticipationem obligat eum, qui in Paschate se pravitè impediendum, ferè sicut ad Missam manè, quò

nè, quâ commodè potest horâ, audiendam obligatur, qui consuetâ ei non potest interesse.

24. Dubium quartò est, an confessionis annuæ præcepto satisfiat per invalidam. Ratio dubitandi est; quòd Ecclesia ad poenitentiam & peccatorum confessionem etiam recipiat peccatores, qui propter defectum veri propositi nequeunt absolvi, *c. Quod quidam* 5. ideòque ab ipsa confessio solum externa præcipi, & omnia puniri videatur. Unde ab eo etiam, cui peccata sua fideliter & cum debita dispositione confessio sacerdos ex ignorantia vel malitia absolutionem non impertivit, Ecclesiæ præceptum impleri, aliqui DD. volunt cum Sylvestro *V. Confessio* 4. n. 3. & Paludano *in 4. dist. 17. q. 7.*

25. At multò verisimilius confessione undecunque, etiam citra omnem poenitentis culpam, invalidâ Ecclesiæ præcepto non satisfieri, cum Navarro *Manual. cap. 10. n. 4.* Soto *cit. dist. 18. q. 3. art. 3.* & aliis defendunt *citt. Suarez* f. 7. n. 3. Laiman. *cap. 5. n. 11.* Fagundez *Præcept. Eccles. 2. Lib. 1. cap. 4. n. 5.* & Palao *p. 20. §. 3. n. 4. & 7.* unicâ, sed clarâ solidâque permoti ratione; quòd ejusmodi confessione non satisfiat præcepto Divino; cum istò peccator ad gratiæ & amicitia Divina statum per peccatorum expiationem recuperandum obligetur: quòd per confessionem ex quocunque defectu invalidam non fit. Ergo neque Ecclesiastico satisfiat; cum istò Poenitentia non tam præcipiatur, quàm ejus ex præcepto Divino agenda tempus determinetur, secundum Trident. *citt. cap. 5. & can. 8.* Accedit; quòd confessionem non integrè aut sine dolore vel proposito emendationis peragens peccata sua vel non omnia, vel non fideliter confiteatur, contra textum *c. Omnis* *cit.*

Neque verum est; quòd istò præ-

cepta sit sola confessio externa, cum; quia non extèrna solum, sed vera poenitentia præcepta est Jure Divinò: cujus executioni tempus duntaxat determinatum est Humanò: tum verò; quia, cum nomine actus regulariter non qualiscunque, sed validus veniat, secundum Tirraquell. *de Retrahtu Lignag. §. 1. gloss. 2. n. 5.* præceptò confessionis annuæ valida præcepta erit; cum enim actum invalidè fieri & non fieri paria reputentur, *arg. l. Duo Titii 30. ff. de Test. tutela*, quæ vera & valida non est, nomine præceptæ confessionis non venit, Palao *cit. §. 3. n. 5.*

Neque in contrarium facit *c. Quod quidam* *cit.* textus; quia, ut hic Doctor *n. 4.* & Suarez *cit. f. 7. n. 5.* observant, peccatoris rectè dispositi, sicut & meretricum, usurariorum aliorumque ejusmodi peccatorum confessio ab Ecclesia non admittitur, tanquam sufficiens ad implementationem præcepti Ecclesiastici; cum eâ non satisfiat Divino, sed solummodo, ut de peccatorum gravitate & anima sua periculo admoncantur, & piis exhortationibus ad veram poenitentiam & conversionem facilius inducantur.

Porro, licet confessionem annuam negligentè graviter peccent, & de Hæresi suspecti sint, poena tamen, quæ ipsâ ejus omissione malitiosâ incurratur, Jure communi prodita non est; cum *c. Omnis* *cit.* ab Ecclesiæ ingressu & sepultura Ecclesiastica arceantur verbis, exigentibus actionem judicis & sententiam, quâ ita puniantur. *citt. Suarez* f. 8. n. 2. *Communi*, inquam; quia speciali Jure statutorum provincialium & diocæsanorum in ipsos lata est excommunicatio, contrahenda ipsò factò, sive voluntariâ & culpabili omissione Paschalis confessionis; etiamsi hanc negligentis delictum ignoretur, imò occultissimum sit, ut

¶ ¶

cum ead

eum eodem notant Fagundez *cit. cap. 4. n. 12.* & Palao *n. 5.* Unde

28. Dubium quintū oritur, an hujusmodi statutis lata excommunicatio contrahatur à confitente solum fide, hoc est, vel non integrè, vel sine omni dolore vel proposito emendationis. Ratio dubitandi est; quia, cum Ecclesia cogitationis & quæcunque merè interna peccata non cognoscat, ab ea latæ pœnæ ad hujusmodi peccata se non extendit. Sed ratio hæc levis est, cum enim internæ dispositionis defectus redundet in actum confessionis externæ, & hanc nullam reddat, istam tanquam nullam & sacrilegam obnoxiam reddet excommunicationi, statuto latæ in non confitentes, secundum doctrinam traditam *Lib. 1. Tit. 2. n. 40.* sicut eidem censuræ obnoxius esset sacerdos, qui Pœnitentiæ vel Baptismi Sacramenta alicui ministrare sub ejusdem censuræ ipsò factò contrahendæ pœna jussus, eum malitiosè sine interna intentione exterius absolveret vel baptizaret. Unde ejusmodi statuto latam censuram etiam incurrunt meretrices, usurarii & quicumque alii peccatorum veram confessionem malitiosè omittentes vel indebitè peragentes. Neque refert; quod excommunicati non declarentur, cum; quia Jure lata excommunicatio sine ulla declaratione animam ligat: tum verò; quia declarari non solet in favorem aliorum fidelium; ne cum ipsis communicantes peccent, & minorem excommunicationem etiam ipsi incurrant; non, quod ipsa censurâ non afficiantur; *cit. Suarez n. 4. Fagundez n. 12. & Palao n. 5.*

### ARTICULUS II.

### De Approbatione Sacerdotis,

### SUMMARIUM.

29. *Decretum S. Synodi Tridentina de approbatione,*
30. *Sacerdotibus etiam Regularibus necessariâ ad confessiones secularium,*
31. *Licitè & validè excipiendas.*
32. *Conceditur ab Episcopo pro secularium,*
33. *Et pro Regularium confessionibus audiendâ à proprio eorum Prelato.*
34. *Eâ opus etiam habent sacerdotes graduati,*
35. *Approbandi sacerdotes sunt ab Episcopo, cujus jurisdictioni subiecti sunt ipsi,*
36. *Vel potius diocesis, cujus subditarum confessiones excipiuntur.*
37. *Concedi approbatio potest tribus modis,*
38. *Et semper gratis debet.*
39. *Admissionem ad examen potestibus injustè:*
40. *Validè tamen ex causa etiam injusta,*
41. *Et sacerdotibus Regularibus denegatur.*
42. *Ex justa causa ad certum locum & personas:*
43. *Imò etiam ad tempus restringitur*
44. *Validè absolvit approbatus, quem approbans idoneum per errorem:*
45. *Imò etiam, quem non idoneum judicavit.*
46. *Approbatio obnoxia est revocationi:*
47. *Qua variè & ex justa causa legitime fit,*
48. *Etiam ab approbanti successore,*
49. *Ab antecessore approbatus revocare valente ad examen.*

Approba-

29. **A**pprobationis nomine venit Judicium, sive testimonium authenticum de habilitate sive idoneitate sacerdotis ad excipiendas fidelium pœnitentium confessiones, de quo S. Synodi Tridentinæ decretum est, *Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus nullum, etiam Regularem, posse confessiones Secularium, etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari: nisi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illo videbitur necessarium, aut aliàs idoneus judicetur: Et approbationem, qua gratis datur, obtineat: privilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemoriali, non obstantibus, Sess. 23. cap. 15. de Reformat.*
30. Ad excipiendas secularium confessiones hodie non sufficit; quòd sacerdos habeat omnia, ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem necessaria Jure Naturali ac Divino: sed insuper exigitur; ut ad administrationem illam ab Ecclesia specialiter sit approbatus. Quod, sicut certum, sic
31. Dubium est, an à sacerdote ad illam non approbato attentata Sacramenti administratio & collatæ à peccatis absolutiones invalidæ sint. Ratio dubitandi est; quòd in ordinatione sacerdotali cum potestate sacrificandi pro vivis ac defunctis etiam à peccatis absolvendi potestas conferatur. Quam rationem simul insinuat, eique occurrit ipsa S. Synodus; quòd, licet à peccatis absolvendi potestas substantialis cum sacrificandi potestate conjuncta in quovis sacerdote sit, ad attuale tamen illius exercitium necessaria sacerdoti sit jurisdictio & explicatio determinationisque subjecti, circa quod exercetur, Navarrus in *can. Placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n. 19.* Suarez de *Pœnit. disp.*
25. *f. 1. n. 16.* & *Laiman Lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 19. assert. 2.* jurisdictio autem non concedatur & subjecti illius determinatio hodie non fiat, antequam sacerdos ad excipiendas confessiones Ecclesiæ judicio sit approbatus, Quare Sacramenti Pœnitentiæ administratio & à peccatis absolutiones, à sacerdote non approbato collatæ, hodie propter defectum potestatis absolvendi actualis, valore desituuntur, ex communi & certa sententia DD. id defumentium ex *cap. 15. cit. V. Non posse;* cùm verbis istis negetur potentia, inducatúrque carentia jurisdictionis, & actus contra gestus invalidus declaratur, *Glossa in Reg. 1. V. Non potest, in 6. Bartol. in l. fin. ff. de Fœris n. 7. Tiraquell. post L. Connub. gloss. 4. n. 1. & 9. Covarruvias in c. Tine 17. de Testament. n. 2.*
- Ea autem sacerdotum, tam Regularium quàm Secularium, ad excipiendas pœnitentium, etiam sacerdotum secularium, confessiones approbatio de Jure competit Episcopis, saltem confirmatis, aliisque Prælati in certo territorio obtinentibus jurisdictionem quasi Episcopalem, Capitulo istiusque & Episcopi Vicario generali, vi mandati seu commissionis generalis; cùm non sit actus Ordinis, sed jurisdictionis Episcopalis Ordinariæ, vacante sede, residentis penes Capitulum, & in Vicario generali speciale mandatum de Jure vel consuetudine non expositis, *cit. Suarez disp. 28. f. 5. à n. 1. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 25. à n. 8. Secularium,* inquam, tam clericorum quàm laicorum: non etiam Regularium; quia ad istorum sive utriusque sexus Religiosorum confessiones excipiendas sacerdoti Regulari, imò & Seculari sufficit approbatio & licentia superioris consentium Regularis, *arg. cap. 15. cit. cùm, expressa sive assumpta ex duabus speciebus op-*

E f f

positis

positis unâ, altera exclusâ censeatur, arg. c. *Nonne* 5. de *Præsumpt.* & l. *Cum Prætor* 12. pr. ff. de *Judic. cit.* Suarez s. 4. n. 4. Miranda *Tom. 1. Manual. Prælat. q. 45. art. 11. conclus. 2.* & Barbosa *Alleg. cit. n. 64. in fine*, id comprobans decretô Clement. VIII. relatô à Quaranta V. *Confessor.* Ratio, cur S. Synodus decretum illud ad secularium confessiones restrinxerit, ea videtur esse; quòd, cum Regulares peculiarem & multò, quàm secularium est, perfectiorem vivendi modum teneant, de eorum conscientia S. Synodus confidat: & confessores ipsis à propriis eorumque vivendi modum expertis potius, quàm ab aliis Prælatiis approbari, conveniens esse judicârit. Ubi

34. Dubium est, an Episcopalis approbatio necessaria etiam sit sacerdotibus licentari aliquò, præsertim Doctoratûs vel Licentiæ gradu in Theologia vel Jure Canonico in generalium studiorum Universitate insignitis. Dubitandi ratio est; quòd tales suæ ad Sacramentorum administrationem idoneitatis testimonium publicum habeant, & de illa aliquando per ipsam facti evidentiam & doctrinæ notorietatem constet. Nihilominus, Episcopalem approbationem his quoque necessariam, communis & certa est sententia DD. quòd S. Synodus disertè decernat, *Nullum etiam Regularem presbyterum posse secularium confessiones audire: quorum verborum absolutè negantium generalitas exceptionem vel restrictionem non admittit, cit.* Suarez s. 4. n. 3. Laiman. *cap. 11. n. 2.* Barbosa n. 14. & Palao *Tract. 23. disp. unic. p. 17. §. 2. n. 2.* qui tamen rectè monet, decere; ut Magistri, Doctores & Licentiatî in Theologia vel Jure Canonico, uti & celeberrimos Verbi divini præcones ac similes, quando de eorum doctrina palam constat, ex communi hominum æstimatione sine

scientiæ examine approbentur.

Dubium etiam & controversia inter DD. est, cujus Episcopi approbatio necessaria sit. Ex variis Opinionibus verisimiliores sunt duæ, Una cit. Suarez s. 6. n. 6. Coninck de *Panis. disp. 8. dub. 7. n. 50.* & Palao *disp. cit. p. 15. §. 3. n. 4.* approbationem Episcopi ipsius confessorii exposcentium; cum sit absolutum judicium de istius idoneitate: in confessorium autem jurisdictionem exerceri potest à solo superiore, cui is ratione domicilii vel quasi, aut moræ in loco, est subjectus.

36. Altera Navarri *Manual. cap. 27. n. 266. V. Sextum, Laiman. cap. 11. cit. n. 9.* & Barbosa *Alleg. 15. cit. n. 30.* exigentium approbationem Episcopi loci, in quo, sive cujus subditorum confessiones excipiuntur, partim; quòd generatim mentio Episcopi exaudienda sit de Episcopo loci, in quo gerendum est actus, & cui incumbit cura animarum: partim verò; quòd ex justis causis, v.g. propter casum difficiliorum occurrentium frequentiam & majus periculum perversionis animarum, quandoque in confessorio literarum scientia major in uno quàm in alio Episcopatu desideretur; ut, qui ad excipiendas confessiones in uno est idoneus, in alio Episcopatu minus idoneus sit; ac proinde pro isto opus meritò videatur approbatione speciali. Accedit; quòd, si sufficeret approbatio Episcopi confessorii, sequeretur approbatum ab uno Episcopo pro tota Ecclesia esse approbatum: quod nemo facile asseret, & si verum esset, speciale aliquid Societati JESU indultum non esset per privilegium, vi

gum, vi cuius epus Sacerdotes ab aliquo ordinario semel approbati iter facientes pœnitentium confessiones audire ubique valent: dummodo id sine licentia Ordinarium non fiat, in oppido vel loco, in quo ipsi existunt, ex *Constitutione* Gregorii XIII. edita 11. Februarii 1576. Pro hac etiam sententia cit. Barbosa n. 32. allegat Cardinalium declarationem: eandemque, huius modi declarationibus seclusis, sibi semper & absolute placuisse, fateetur Suarez cit. n. 6. Unde

Infertur primò, Sacerdoti, tam Regulari, quam Seculari necessariam esse approbationem illius Episcopi, cuius subditorum excipit confessiones; atque idcirco, si approbatus ab Episcopo Frisingensi ex istius diocesi transeat ad Augustanam, & istius subditorum confessiones excipere velit, ab istius Episcopo vel Vicario generali approbandum, ut non obscure insinuat à Tridentino, disertè decernente *Nullum Sacerdotem audire posse secularium confessiones, nisi ab Episcopo idoneus iudicetur*; plurali enim numero id decernendo S. Synodus indicat, approbationem à pluribus necessariam, si in plurium diocesis confessiones audire velit. Ratio est; quia cuiusvis Episcopi approbatio est respectu gregis, cui ex Pastoralis suo munere tenetur providere, ut rectè observant cit. Laiman n. 8. & Lugo n. 2. qui tamen rectè excipit Imprimis Sacerdotes Regulares, qui vigore privilegii Apostolici, postquam ab Episcopo aliquo approbati sunt, fidelium quorumcunque confessiones audire possunt, ut paulò ante de Societatis Sacerdotibus iter facientibus est dictum. Deinde dioceses, quantum Episcopi contenti sunt, ut à vicinarum diocesium Episcopis approbati Sacerdotes, quando ad suam diocesim accedunt, ad subditorum suorum confessiones excipiendas adhiberi possint.

Infertur secundò, Sacerdotem, qui post approbationem obtentam ab Episcopo Frisingensi ad Augustanam diocesim transit, licet illius approbationis virtute in hac diocesi neminem valeat absolvere, casu tamen, quò ad Frisingensem redit, ad excipiendas istius diocesis pœnitentium confessiones novà approbatione opus non habere, saltem si interea, dum absuit, antè concessa approbatione à Frisingensi Episcopo istiusve successore revocata non fuerunt, cit. Lugo n. 44. & aliis DD. relatis, Barbosa n. 44.

Infertur tertio, Parochum aut Vicarium perpetuum ipsà curati beneficii collatione approbatum censeri pro tota diocesi; ut virtute Bullæ cruciatæ vel Jubilæi pœnitentium diocesanorum quorumcunque confessiones audire possit, cit. Suarez s. 4. n. 16. Palao §. 2. n. 7. & alii apud Barbosam n. 19. Ratio est; quia beneficii curati collatio ejusdem virtutis est, cujus absolute facta approbatio per authenticum testimonium: quò facta approbatio extenditur ad totam diocesim.

Infertur quartò, à parochio parochianorum suorum confessiones excipi posse extra parochiæ suæ, imò diocesis fines, quòd eorum respectu ab Episcopo sit approbatus, in eosque obtineat jurisdictionem: quæ, cum voluntaria sit, extra proprium territorium exerceri sine proprii istius parochi vel Episcopi præiudicio potest, cit. Coninck disp. 8. n. 22. & Barbosa à n. 36.

Porro Sacerdotum ad excipiendas secularium confessiones approbatio ab Episcopo concedi potest ac solet Imprimis actuali collatione beneficii parochialis, sive annexam habentis curam animarum. Deinde authenticâ declaratione idoneitatis, factâ prævio examine, cap. 15. cit. non tamen necessariò per scripturam; cum hæc ad illam neque ex natura rei, neque

decretò Conciliari *cit.* neque aliò Jure exigatur. Demum Sacerdotis ad Sacramentorum vel expressè ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, etiam sine prævio examine, factâ deputatione; cùm Episcopus eò ipsò, quòd Sacerdotem sibi subditum ad id munus obeundum deputet, eum ad id idoneum judicare intelligatur, *cit.* Suarez *f. 5. n. 9.* Barbosa *n. 6.* & Palao *§. 1. n. 4. & 5.*

38. Quòcunque autem modò fiat approbatio, concedenda est gratis; quia ob tenta pretiò procul dubio Simoniaca foret; cùm approbatio spiritualis jurisdictionis sit actus. An propterea approbatio, sicut collatio beneficii, pretiò ob tenta irrita sit, dubitandi ratio est; quòd *cap. 1. §. cit.* Verba *Qua gratis detur*, inserta sint conditionatè propositioni, *Nisi approbationem obtineat.* Sed, licet hoc ita sit, conditione tamen istà verba illa non efficiuntur; cùm non, ut conditio, referantur ad Sacerdotem, à quo approbatio est obtinenda: sed ad Episcopum, cui eam gratis concedendi præceptum imponunt, quin irritent pro pretiò simoniacè concessam. Hanc proinde valore defitui, cum *cit.* Suarez *f. 5. n. 9.* & Bonacina *disp. 5. de Pœnit. q. 7. p. 4. §. 1. in fine*, meritò negat *cit.* Palao *§. 1. n. 6.* quòd hujusmodi concessionis nullitas ullo Jure prodita non sit, & ex collationis aut alterius actus, labe illà infecti, nullitate perperam inferatur; cùm pœnæ Jure latæ ultra casus expressos non porrigantur, per *Reg. Factum 155. §. 3. ff. & Reg. In pœnis 49. in 6.* Ex dictis

39. Dubium oritur primò, an approbatio sine admissione ad examen ab Episcopo valeat denegari. Ex justa & rationabili causa, v.g. ob notoriam aliunde incapacitatem, sive discretionis, scientiæ vel probitatis defectum, illam denegari ita posse, nemo est, qui inficias eat. Ejus

modi etiam causâ seclusâ personæ, quàm judicat idoneam, denegari approbationem ab Episcopo posse, suadet ratio; quòd non appareat, ex quo capite ad approbationem concedendam obligetur. Nihilominus, eam Sacerdotibus, ad examen admitti petentibus, si idonei reperiantur, denegari sine justa causa & pro libitu suo ab Episcopo posse, ex communi aliorum sensu meritò negant *cit.* Suarez *f. 5. n. 15.* Coninck *dub. 7. n. 5.* Laiman *cap. 11. n. 3.* Palao *§. 3. n. 7.* & Lugo *de Pœnit. disp. 21. n. 49.* Ratio est; quia approbatio non est gratia & privilegium, à concedentis libera voluntate pendens: sed authentica declaratio sive testimonium publicum de personæ idoneitate, ut ei Sacramenti administratio committi possit: cujusmodi testimonium probitate vitæ & debita scientia instructis sacerdotibus ex justitia debetur; ut non impediatur, quò minus ad excipiendas confessiones eligi à parochis, & per Bullam Cruciatæ vel Jubilæum Sacerdotibus omnibus à Papa concessa jurisdictione uti possint. Quod multò magis procedit in Religiosis, quibus, admissione ad examen & approbatione, postquam idonei reperti sunt, denegatâ, injustè adimeretur usus privilegii Apostolici: vi cujus ab Ordinatio approbati & à superioribus suis expositi pœnitentium ad se recurrentium confessiones audiendi facultatem & jurisdictionem à Papa sibi concessam habent.

Dubium secundò est, an sufficiat approbatio petita, si ab Episcopo injustè denegetur. Non quidem, si injustitia denegationis manifesta non sit; quòd in dubio justa præsumatur; cùm pro judice ab eoque actis semper præsumatur, si contrarium non ostendatur, & propter illius auctoritatem fraudis ac læsionis suspicio excludatur, *c. In presenzia 6. de Renuciat. & l. fin. ibi, Quòd non arbitramur, C. de Offici-*

*Offic. civil. jud.* Sed, si personæ approbationem petentis idoneitas manifesta sit; hoc enim casu, an idem statuendum, dubitandi ratio est; quòd consensus debiti & injustè denegati eadem, quæ dati, vis de Jure sit, *c. Licet 18. de Regular.* Verùm, quia specialia in argumentum & consequentiam de Jure trahenda non sunt, Tuschus *Prætic. V. Speciale conclus. 462. n. 12.* propositò etiam casu approbationem petitam ad Sacramentalis absolutio- nis valorem non sufficere, communis & certa est sententia DD. quòd S. Synodus Tridentina, ut quis ad secularium confessiones audiendas idoneus sit, tanquam conditionem disertè exigat approbationem ab Episcopo obtentam, ibi, *Nullus reputetur idoneus, nisi ab Episcopo approbationem obtineat, cap. 15. cit.* ut adeò, conditione hac deficiente, Sacerdos idoneus non reputetur, *arg. l. Si quis fundum 37. ff. de Contrab. empt. & l. Necessario 8. pr. V. Quod si sub conditione, ff. de Pericul. rei vend.* Tuschus *Prætic. V. Conditio, conclus. 593. à pr.*

Neque hac in re inter sacerdotes Se- culares & Regulares, saltem Mendicantes, & qui istorum privilegiis fruuntur, discrimen statuendum est propter *Clement. Dudum 2. & Extravag. Super Cathedram 2. inter communes, de Sepult.* quarum constitutionum posteriori à Bonifacio VIII. Mendicantibus indultum est privilegium, vi cujus confessarii ab illorum Generali vel Provinciali Episcopo præsentati, si isti eos admittere renuant, pro admissis haberi possunt, Papà eos tali casu admittente: quod memorati Papæ privilegium à Clemente V. in Concilio Viennensi de novo confirmatum est Constitutione priori: & revocatum non videtur à Tridentino *cap. 15. cit.* cum istò Concilii generalis dispositioni sine speciali ejus mentione non derogetur, *c. Nonnulli 28. pr.*

*de Rescript. & c. Ex parte 3. de Capell. Monach.* Quà ratione ducti, & Navar- rum *Manual. cap. 27. n. 265.* secuti RR. non pauci volunt, Mendicantibus approbationem debitò modò postulantibus *cap. 15. cit.* relatum decretum non obsta- re, quòd minùs, illà injustè denegatà, ad secularium Sacerdotum aliorumque pœnitentium confessiones validè excipiendas idonei sint.

Sed malè; quia imprimis (ut taceam, **41.** quòd *cc. cit.* agatur de Conciliaris decreti derogatione, quæ fit per rescriptum: non de ea, quæ fit per Constitutionem) *Clement. cit.* dispositio non est ab iplo Concilio Viennensi, sed in isto à Clemente V. edita; ac proinde non Conciliaris, sed Apostolica duntaxat Constitutio est, per tradita à Panormit. *in c. 1. de Pœnit. n. r. in fine, & Corrado Prax. Dispensat. Apostol. Lib. 7. cap. 7. n. 5.* ut adeò, sicut aliis Constitutionibus Apostolicis, sic & *Clement. cit.* sine speciali mentione derogetur, *arg. c. 1. de Constitut. in 6.* Deinde; quia, sicut Apostolica constitutioni priori per posteriorem, sic & Concilii generalis decreto priori per posterius sine illius mentione derogatur; quòd Concilii posterioris Patres prioris decreta scire non minùs, quàm Constitutiones Apostolicas antè editas Papæ; ac proinde priori decreto contrarium edendò illud abrogare velle, censeantur, *c. 1. cit. & l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. Gloffa magna in c. 1. cit. ubi Joan. Monach. in addit. Probi, n. 3. & Pirrhing ad Rubr. de Constit. n. 135.* Demù; quia S. Synodus Trident. *Clem. & Extravag. cit.* satis derogat generali & negativo decretò idem de Regularibus, quòd de Secularibus, sacerdotibus statuendò, ibi, *Nullus Sacerdos secularis, vel Regularis, & non minùs generaliter privilegiis derogandò verbis, Non obstantibus quibuscunque privilegiis.* Quare hodie Sacerdo-



sacerdotum, sicut secularium, sic & Regularium, etiam Mendicantium, absolutiones secularibus, sine Episcopali approbatione, etiam illicitè & injustè denegata, collatas valore destitui, meritò defendunt *cit. Suarez f. 5. n. 13. Coninck dub. 7. n. 58. Lugo disp. 21. n. 52. & Barbosa alleg. cit. n. 47.*

42. Dubium tertio est. an approbatio restringi ab Episcopo valeat ad certum tempus. Restringi eam posse ad certum locum & personas, nemo est, qui inficietur; quòd respectu puerorum, plebis rusticanae, aliorumque rudium idoneus esse possit, qui talis non est respectu civitatis, praesertim iudicum, consiliatorum, assessorum, advocatorum, mercatorum: & respectu virorum, qui non est respectu foeminarum, Navarrus *Manual. cap. 4. n. 11. cit. Suarez f. 7. n. 19.*

43. Restrictionem autem ad certum tempus cum nonnullis improbat Portell, *Dub. Regular. V. Confessor. n. 13.* quòd non appareat ratio, cur, qui unò, non etiam aliò die, mense, annò aptus sit ad excipiendas confessiones. Verùm, esto, hæc restrictio difficilior sit eà, quæ sit ad certum genus personarum aut locum, iustæ tamen causæ esse possunt, sicut pro articulo mortis approbationem & jurisdictionem concedendi cuivis, sic particulari alicui sacerdoti concessam ad certum tempus restringendi; non solum propter necessitatem & concursum poenitentium, aliorumque sacerdotum defectum: sed etiam propter levitatem morum & tenuitatem scientiæ ipsius sacerdotis, & ad istius conservandæ perficiendæque studium in eo excitandum: imò etiam ad probitatis, doctrinæque Moralis ac discretionis, pro perpetua approbatione sufficientis, capiendum experimentum, ut rectè advertit *cit. Barbosa n. 42. & Lugo disp. 21. n. 58. & curiarum Episcopaliū praxis docet.*

Neque semper ad excipiendas fidelium confessiones, qui praesenti, etiam futuris annis idoneus est; cùm experientiæ magisterio doceamur, eam, quam nunc habent, rerum Moralium scientiam in sacerdotibus aliquando exolescere, curisque & studiis ab illa alienis sic obrui; ut ad pristinam ignorantiam rediisse, vel nihil unquam didicisse videantur.

Dubium quarto est de valore absolutionis collatæ à sacerdote, quem Episcopus idoneum iudicavit, cùm re ipsa non esset. Quâ in re verius est, illam valore non destitui; quòd ea irritata non sit decreto Conciliari *cap. 15. cit. &* si poenitenti ritè disposito cum debita intentione & adhibita absolutionis forma collata sit, non appareat ratio vel causa nullitatis, Barbosa aliis DD. relatis *alleg. cit. n. 40.* ubi validam etiam censet absolutionem, collatam à sacerdote, ab Episcopo factè, hoc est, verbis externis, sine concedendi intentione interna prolatis, approbato; quòd, cùm talis sacerdos habeat titulum coloratum & communi iustoque errore approbatus communiter reputetur, publico animarum bono poscente, legitimæ approbationis defectus ab Ecclesia suppleatur, *arg. S. Veruntamen. post can. Infamis, 7. q. 7. & l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* Secus esset, si sacerdotem idoneum in animo iudicaret sine ulla iudicii sui manifestatione; quia ex decreto Synodali *cit.* non iudicium tantum, sed actus etiam externus desideratur, ibi, *Aut iudicetur idoneus, & approbationem obtineat, cit. Suarez f. 5. n. 9. Coninck n. 49. & Barbosa n. 41.* Unde

Infertur, invalidam fore absolutionem, collatam à sacerdote, quem Episcopus, cùm idoneum non iudicaret, aut iudicaret idoneum non esse, nihilominus approbavit; quòd *cap. 15. cit.* præter approbationem ab illo obtentam & externam, in-

ant, internum de idoneitate iudicium exigatur: & S. Synodi intentio fuerit; ut cum iudicio interno coniungeretur approbatio externa, & vicissim. Ita Barbosa *cit. n. 40.* ab eoque præter alios allegatus Suarez *n. 7.* Sed Doctor iste, sicut hunc decreti Synodalis intellectum non reicit, sic non obscure pro valida habet, vi eiusmodi illicitæ & iniustæ approbationis collatam absolutionem, cum; quod S. Synodi PP. sicut de approbatione, sic & de iudicio sive declaratione idoneitatis externa loqui videantur; cum de internis Ecclesia non iudicet, *c. Tua nos 34. de Simonia:* tum verò; quod aliàs multæ absolutiones dubiæ forent; cum eiusmodi approbationes non rarò pro favore aut aliàs minus providè concedantur.

46. Dubium quintò est, an approbatio semel data ab Episcopo valeat revocari. Ratio dubitandi est; quòd non sit gratia & favor, sed sententia quædam sive iudicium authenticum, sacerdotibus, qui ad excipiendas confessiones idonei reperiuntur, ex iustitia debitum: sententia autem semel prolata, postquam in rem iudicatã transit, revocationi ejus iudicis, à quo prolata est, obnoxia nõ sit, *c. Quod ad Consultationẽ 15. de Sent. & re judic. & aurb. Hodie C. de Appellat.* Quà ratione ducti aliqui approbationem Regularium: alii quorumcumque, etiam Secularium, ab Episcopo saltem eo, à quo obtenta est, revocari posse, inficiantur. Verùm *textu cit.* sermo est de sententia judiciali, sive lata in foro contentioso: à qua ad extrajudiciale, sive id, de quo agimus, iudicium de idoneitate perperam ducitur argumentum; cum illatio non rectè fiat à diversis, *l. Inter stipulantes 23. §. 5. V. Sed hæc dissimilia sunt, ff. de V. O.*

Quare, illà non obstante, propositam Sacerdotum approbationem revocari, non tamen semper ad libitum & ed-

dem modò, posse, aliorum DD. communis & certa sententia est

Et primò quidem Sacerdotis, Parochiale sive curatum beneficium obtinentis, approbatio revocari non potest: nisi ex iusta causa privetur beneficio, vel ab annexo ei officio suspendatur aut removeatur, *cit. Suarez f. 8. n. 6. & Palao f. 4. num. 1.*

Secundò, approbatio data ad arbitrium seu beneplacitum ex iusta causa licite: & nullà ejusmodi causã poscente, saltem validè revocari potest, *cit. Suarez n. 8. & Barbosa alleg. 25. n. 55.* Ratio est; quia talis est approbatio restricta ad tempus determinandum ab approbante: ea autem, quæ concessa est ad tempus, istò transactò, expirat; ac proinde etiam concessa ad beneplacitum, istò cessante: imò etiam concedentis morte sine alia revocatione expirabit; cum hominis morte e jus beneplacitum extingatur ac cesset, *c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6.*

Tertiò, approbatio, Sacerdoti absolute & sine limitatione concessa, ex iusta causa v.g. propter mutatos illius & publicè scandalosos mores, scientiæ Moralis oblivionem &c. licitè revocatur, *arg. e. Accepimus 13. ibi, Nisi fortè, postquam promoti sunt, se reddiderint indignos, de Etat. & qualif.* cum enim ex iusta causa Sacerdoti auferri valeat beneficium Ecclesiasticum, quod ipsi ritè collatum fuit, multò magis revocari valebit ad excipiendas confessiones approbatio; cum istà minus radicatam jus approbato, quàm benefici collatione parochia conferatur, *cit. Suarez n. 1. & Lugo n. 65.*

Quartò, eiusmodi tamen mutationis, aliavè iustã causã non subsistente, absolute concessa approbatio illicitè revocatur; cum enim Sacerdoti petenti & idoneo reperto approbatio illicitè & injustè denegetur, multò minus semel collata sine

G g g

ejus-

eiusmodi causa iuste auferetur. Ratio est; quia jus acquisitum fortius est acquirendum; ut hoc facilius impediatur, quam illud auferatur, l. fin. V. Hoc etenim, C. de Acquir. poss. § l. Qui autem, ff. Que in fraud. credit, cit. Suarez n. 7. & Palao n. 8. qui & apud cit. Barbolam n. 57. alii absolute concessæ approbationis revocationem sine rationabili causa & iniuste, quod nunquam præsumitur, factam, invalidam censent.

48. Quinto iisdem casibus ac modis, quibus ab Episcopo, à quo approbatio est concessa, ejus revocatio fieri potest ab ejus successore, ut aperte supponit *Constitutio* B. Pii V. quæ incipit *Romani*, edita 8. Idus Augusti 1571. dum successori approbatorum revocationem ad examen permittit, utique ad effectum approbationis vel reprobationis; ne revocationis ad examen nullus sit effectus. Ratio est; quia successor eodem jure utitur, quod ejus antecessor, eandemque cum illo obtinet potestatem, *Glossa in c. 1. V. Prædecessoris, de Solut.* Neque apparet ratio, cur ratas habere debeat omnes facultates concessas ab antecessore, cit. Suarez f. 8. n. 4. Miranda q. 45. art. 7. & Barbolam n. 49.

49. Quoad eam tamen revocationem ad examen inter antecessorem & successorem id discriminis intercedit; quod, licet Seculares uterque, Regulares tamen sacerdotes, prævio examine semel approbatos, ad examen revocare solus successor pro majori conscientia suæ quiete permittatur *Constitut.* *Piana cit.* quam per privilegiorum Regularium reductionem ad Concilii Tridentini terminos factam, à Gregorio XIII. *Constitut.* quæ incipit *In tanta*, Calend. Martii 1573. edita non revocatam, à S. Congreg. Cardd. Interpp. declaratum est, ut ex *Rodriquez Tom. 1. Regular. q. 59. art. 4.* *Lezana Summa cap. 18. n. 7.* & aliis refert cit. Barbolam n. 48.

## ARTICULUS III.

## De eidem necessaria Jurisdictione.

## SUMMARIUM.

50. Istius defectus inducit nullitatem absolutionis.
51. Venialia dumtaxat, vel antè elavibus jam subiecta consistentem,
52. Et in mortis articulo constitutum absoluit quilibet Sacerdos,
53. Proprio Sacerdote in eo articulo absente,
54. Sine obligatione confessionis postea coram proprio repetenda.
55. Jurisdictio alia Ordinaria est & alia Delegata.
56. Ordinariam habent Papa, Episcopi, Abbates, parochi & similes.
57. Istorum autem commissarij delegatam,
58. Per subdelegationem aliquando, non semper, in alios transferendam.
59. Delegata acquiritur I. ex dispositione Juris,
60. II. Commissione hominis expressa, imò etiam tacita;
61. Quam neque futura ratihabitionis præsumptio;
62. Neque delegare valentis & presentis taciturnitas;
63. Neque licentia, si petatur, obtinenda fiducia;
64. Neque sola illius petitio, sine actuali consensu inducit.
65. III. Privilegiò: quò ea concessa est Ordinibus Religiosis,
66. Et per istorum Prælatos subditis Sacerdotibus communicatur.

67. Non tamen in Religiosos sine proprij  
horum prelati consensu exerce-  
tur.  
68. IV. Consuetudine legitime prescri-  
pta.  
69. V. Benignitate Ecclesia, iurisdic-  
tionis defectum aliquando sup-  
pletis.

§0. **P**er hanc, ut n. 31. dictum, determi-  
nantur subditi, in quos sacrâ Or-  
dinatione manûsque Episcopalis  
impositione collata Clavium, sive  
absolvendi & ligandi, potestas per actua-  
lem peccatorum remissionem exerceatur  
adeo; ut ante collationem jurisdictionis  
potestas illa perfecta & expedita non sit  
ferè, sicut creatione Doctoris docendi &  
judicandi accepta potestas exerceri nequit  
ante assignationem cathedræ vel tribuna-  
lis, in quibus actuali alicuius scientiæ pro-  
fessione vel causarum judicialium cogni-  
tione, definitioneque exerceatur, Navar-  
rus in can. Placuit 3. dist. 6. de Pœnit. n.  
19. Sotus in 4. dist. 18. q. 4. art. 2. Laiman  
Lib. 5. tract. 6. cap. 10. n. 1. concl. 2. &  
Bonacina Disp. 5. de Pœnit. q. 7. p. 1. n. 7.

§1. Exciipiuntur tamen ab his aliisque  
DD. tres casus, quibus ex Ecclesiæ beni-  
gnitate & perpetua consuetudine fideles  
indiscriminatim omnes cujusvis sacerdo-  
tis jurisdictioni subijciuntur, scilicet Pri-  
mò, si habeant peccata solum venialia.  
Secundò, si mortalia quidem, sed à qui-  
bus jam semel legitime absoluti sunt, con-  
fiteantur. Ratio utriusque est; quòd, cum  
hujusmodi peccata confitendi obligatio  
non sit, Ecclesiæ in fideles suos benignitati  
conveniens fuerit; ut, quando ex devo-  
tione & humilitatis sui que confusionis  
vel conscientiæ puritatis & perfectioris  
cum Deo conjunctionis studio illorum  
confessionem suscipiunt, ab iis absolutio-  
nem à quocunque vellent Sacerdote pete-

re permitterentur. Tertio instante arti-  
culo seu periculo mortis, ex infirmitate  
aut vi aliqua externa imminenti & mo-  
raliter certò vel saltem probabiliter secu-  
raturæ, c. Eos qui 22. de Sent. excom. in 6.  
Navarrus Manual. cap. 26. n. 31. Sylvester  
V. Confessio n. 7. & Suarez de Pœnit. disp.  
26. s. 4. n. 3. cum enim Pœnitentiæ Sa-  
cramentum eò casu maximè necessariùm  
sit, eadem Ecclesiæ benignitate permittum  
est; ut fideles in articulo illo constituti à  
quibusvis peccatis & censuris absolvi per-  
quemlibet Sacerdotem, etiam censuratum,  
depositum, degradatum, possent, ut  
probè agnovit S. Synodus Tridentina Sess.  
14. cap. 7. de Sacram. Pœnit. ad cuius finem,  
Pitè admodum, inquit, ne hac ipsa occa-  
sione, peccatorum reservationis, aliquis  
pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper  
fuit, ut nulla sit reservatio in articulo  
mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quos-  
libet pœnitentes à quibusvis peccatis &  
censuris absolvere possunt.

Inter hunc tamen periculi mortis &  
duos casus priores id discriminis interce-  
dit; quòd illò, non etiam his casibus va-  
lida sit absolutio, collata ab excommuni-  
cato vitando; cum jurisdictionis actualis  
usus, quò ejusmodi censuratus caret, arg.  
c. Ad probandum 24. de Sent. Tre jud. c.  
c. 1. de Offic. vicar. in 6. pro solo articulo  
mortis concessus sit, cap. 7. cit. Suarez  
Disp. 26. de Pœnit. s. 5. n. 5. & cit. Laiman  
cap. 10. n. 2.

Dubium hic est primò, an in articulo  
illo constitutum simplex, propriò vel pri-  
vilegiatò, & non-censuratò Sacerdote  
præsentè, excommunicatus vitandus ab-  
solvere possit. Quod, licet magni nomi-  
nis DD. aliqui, relatorum Tridentini ver-  
borum generalitate persuasi affirmant,  
comunis tamen & vera Sententia negat &  
evincit ratio; quia cap. 7. cit. S. Synodus  
subvenire voluit necessitati fidelium in eo  
articulo

articulo constitutorum; *Ne eorum aliquis peccat*: is autem, qui præsentem proprium, vel non censuratum Sacerdotem habet, in tali necessitate constitutus non est; cum à peccatorum vinculis absolutionem ab ordinario ejusve delegato aliòve legitimo Sacramenti Pœnitentiæ ministro valeat obtinere. Cui rationi non parùm roboris addunt relata verba Tridentini, *Ita in Ecclesia Dei semper custoditum*, asserentis; ut indicaret, quoad hanc rem non condi jus novum: sed declarari & approbari usu jam receptum in Ecclesia Dei: in qua moribundi à reservatis, non præsentem, sed absente duntaxat proprio Sacerdote, aut ex istius commissione ab aliis absolvi consueverunt, ut colligitur ex *can. Presbyteri 4. can. Aurelius 5. & can. fin. 26. q. 6.* quibus textibus pœnitentium infirmorum reconciliatio à presbyteris faciendâ dicitur iussione Episcopi: imò *can. fin. cit.* illis expressè negatur, nisi ille fuerit absens: uti & ex *Extravag. 1. V. Incendiarii, de Privileg. & Extravag. 1. V. Decernimus, de Sent. excom. utrobique inter com.* quibus pœnitentes certis casibus in articulo mortis ab inferioribus absolvi posse dicuntur, si pro absolutione ad Episcopum vel superiorem non valeant recurrere, Molina *Tract. 4. de J. & J. disp. 13. n. 2.* asserens, id à Gregorio XIII. declaratum, *cit.* Suarez *f. 4. n. 4.* Laiman *cap. 12. n. 14.* & Bonacina *de Pœnit. disp. 5. q. 7. p. 1. num. 10.*

Unde

54. Dubium oritur secundò, an, qui in mortis articulo, proprio vel privilegiatò vel non censuratò Sacerdote absente, à Sacerdote simplici vel excommunicato absolutus est, illò periculò præter expectationem cessante, proprio vel à reservatis absolventi ordinariam vel delegatam potestatem habenti iterum confiteri, seve superiori sistere teneatur. Ratio dubitan-

di est; quòd tali casu absolutus ab excommunicatione superiori, cum primùm potest, se præsentare jubeatur § *Incendiarios cit. c. Ea noscitur 13. V. Si verbò, de Sent. excom. & c. Eos qui 22. eadem Rubr. in 6.* ex quibus textibus ductò argumentò idem aliqui censent de peccatis saltem reservatis, censura non obnoxii. Verùm, quia hoc de solis reservatis censuram annexam habentibus jure expressum est, odiosam *cit.* textuum dispositionem ad cætera etiam reservata peccata porrigendam, cum Sylvestro *V. Confessor 1. n. 16.* & Navarro *Manual. cap. 6. n. 26.* negant *cit.* Suarez *disp. 36. f. 3. n. 6.* Laiman *cap. 12. n. 15.* & Bonacina *p. 1. n. 13.* qui hujus rationem ulteriorem reddunt; quòd moribundum à peccatis, quibus censura annexa non est, propriò, ab hoc delegatò vel privilegiatò & non-censuratò absente, directè & (censuris seclusis) absolute absolventi facultatem habeat quilibet Sacerdos: peccata autem directè & absolute semel remissa iterum confitendi obligatio non detur.

Porro, sicut externi, sic & interni fori jurisdictionis duplex est, Ordinaria & Delegata: quarum illa competit ex officio vel munere, cui à jure est annexa; ista ex delegatione seu commissione alicuius personæ, & aliquando, cum scilicet id specialiter expressum est, ipsius Juris, iuxta dicta *Lib. 1. tit. 29. n. 7. & Tit. 31. num. 6.*

Ordinariam jurisdictionem respectu totius Ecclesiæ seu Christi fidelium universonum solus Papa: Episcopi verò eorumque & sede vacante, Capitulum Cathedralium in spiritualibus Vicarii generales, Episcopi inferiores, Regulares, & aliquando etiam Seculares Prælati, & parochi hisque similes curati respectu fidelium suæ diocesis, Ordinis, Monasterii, parochialis vel alterius Ecclesiæ suæ, specialiter

ciali iuren exemptorum, habent; quia horum omnium iurisdictione ei, quam obtinent, dignitati, beneficio vel officio à Jure est annexa, *can. Cuncta per mundum Sc. 9. q. 3. c. Cùm Episcopus 7. de Offic. Ordin. c. Omnis 12. hās Rubr. Sc.*

57. Delegatam habent, quibus sibi subditorum fidelium confessiones audiendi potestas à Papa, Episcopo, Parocho, aliòve curato, Ordinariam iurisdictionem obtinente, est commissa, *c. Cùm Episcopus cit. ibi, Vel per alium & c. Omnis cit.* ubi fideles peccata sua confiteri jubentur *Sacerdoti proprio*, id est, Parocho alterive ordinario, *Vel alieno*, id est, non ordinario cum proprii licentia vel ex ejus commissione, *Panormit. in c. Omnis cit. n. 7. Laiman. cit. cap. 10. n. 11. & Fagnanus in c. cit. n. 52.* qui aliique DD. rectè observant *cc. cit.* eisque quoad præsentem articulum consonam dispositionum *c. Si Episcopus 2. in 6.* procedere, sive peccatorum confessio ex præcepto semel in anno, sive ex devotione & pluries obeatur; quia *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem*, verba sunt Concilii Trident. *Sess. 14. cap. 7. pr. de Sacram. Poenit.* Ratio est; quia absolutio Sacramentalis est actus sive sententia judicialis, & non nudum ministerium pronuntiandi & declarandi, remissa esse peccata confitenti, ex definitione ejusdem S. Synodi *Sess. cit. can. 9. Natura autem & ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur, cap. 7. cit.* cum à non suo iudice ligari nullus valeat vel absolvi, *c. Quid autem 4. hic c. At si clerici 4. pr. de Judiciis l. 1. Sc. C. Si à non compet. Sc.*

58. An, qui iurisdictionem solummodo

delegatam obtinent; eam subdelegando committere, & confessiones excipiendi potestatem sibi commissam in alios transferre valeant, desumendum est ex generalibus principiis delegationis, traditis *Lib. 1. tit. 29. à cuius n. 16.* subdelegandi facultas ad causas particulares denegata est: nisi ipsi delegati sint summi Principis, aut vices suas aliis committendi potestatem acceperint à delegante. Ad causarum etiam universitatem delegatis stabilita solummodo est, quando ejusmodi causarum universitas annexa est officio seu muneri ordinario, istiusve ratione competit & per modum ejusmodi muneris est commissa. Quò modò ad excipiendas fidelium confessiones cum delegati non sint confessarii Regulares, & Parochorum cooperatores, ejusmodi potestatem subdelegandi facultatem eis non competere, ibidem est dictum. *n. 22.*

Ea autem; de qua sermo est, iurisdictione seu potestas absolvendi delegata diversimode acquiritur: & Primò quidem Jure communi, ex cuius dispositione cuivis sacerdoti, saltem non-excommunicato & vitando Christi fideles quoscunque casibus *n. 51.* enumeratis absolvendi competit potestas; & Episcopi iisque superiores & inferiores exempti prælati sine alia licentia eligere valent confessarium, à quo potestate à Jure accepta absolvantur, *c. fin. Episcopis etiam tanquam sedis Apostolicæ delegatis ipsi exempti variis casibus subjiuntur per tradita suprà Tit. 33. à n. 85.*

Secundò commissione hominis, sive expressò vel tacitò consensu alicujus eorum, quibus juxta paulò antè dicta eam iurisdictionem delegandi competit potestas. Ubi

Dubium est, quomodo in foro Poenitentiali interno exercenda iurisdictione tacitè commissa intelligatur. Sunt enim,

G g g }

qui eam

qui eam ex alicujus, qui delegare potest, presentis & sibi subditorum confessiones audiri sine contradictione videntis taciturnitate rectè intelligi, velint. Alii illius absentis ratihabitione de futuro nunc probabiliter præsumptam: & rursus alii licentiam ab illo solummodo petitam, licet non obtentam, sufficere volunt. Sed contra communem & certam doctrinam potiorum alicujus nominis T. T. & Canonistarum, talibus modis jurisdictionem pro foro interno tacite commissam rectè præsumi, negantium, & ex illa sic præsumpta collatas absolutiones habentium pro invalidis.

61. Et primò quidem, non sufficere ratihabitionem de futuro præsumptam, satis exploratum inde est; quòd Pœnitentiæ Sacramentum invalidè conferatur à sacerdote, qui jurisdictione caret eò tempore, quò pœnitens absolvitur: nunc autem securæ ratificationis fiducia absolvens, tempore absolutionis collatæ careat jurisdictione; cum ista non acquiratur sine consensu delegantis; quid, quod ex præsumpta ratificatione sua agitur, eò, quo agitur tempore, ignorat, ac proinde non consentit; quòd ignorantis nullus sit consensus, *l. Nec ignorans 10. C. de Donat.* ut, qui ignorat, ratificare non intelligatur, per tradita à Baldo *in l. 1. C. Qui admitt. ad possess.* & Menoch. *Lib. 2. Consil. 120. n. 37.* Confirmatur hæc ratio; quia Sacramentum Pœnitentiæ dependere nequit à futuro consensu superioris; cum, si à principio validum sit, futurâ ratihabitione non egeat: & istâ non securâ, valorem non amittat. Si verò invalidum sit, ratihabitione securâ non convalescat, sed invalidum maneat, de eoque procedant *Reg. Quod ab initio 29. ff. & Reg. Non firmatur 18. in 6. Sylvester V. Confessor 1. q. 6. d. 8. Navarrus Manual. cap. 9. n. 6. citat. Suarez Disp. 27.*

*f. 4. n. 16. & Lugo Disp. 19. n. 21.*

Neque huic resolutioni adversatur *Reg. Ratihabitionem 10. in 6.* vel, quòd Baptismus & quædam alia Sacramenta ex futuri consensu præsumptione legitimè administrantur, partim; quia Regula illi locus non est in Sacramento Pœnitentiæ; quòd, cum in isto absolutio non hominis, sed Christi nomine & autoritate conferatur, nullus homo eam valeat ratificare; quia in actibus suo, non alieno, nomine gestis, & in iis, qui semel invalidè gesti convalescere possunt, ratificatio locum habet; ut ad *Reg. cit.* dicitur. Accedit; quòd ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem necessaria sit jurisdic-tio, quæ à delegante sine ejus consensu non obtinetur.

Deinde non sufficit delegatio præsumpta ex sola ejus, qui delegare valet, 62, *vg. Parochi presentis & subditi sui, confessionem audiri scientis, taciturnitate;* cum enim parochus præsens tacere possit quòd vel subditum suum peccata solum venialia, aut à quibus jam semel absolutus est, confiteri: vel confessarium eligendi, vel sacerdotem quorumvis fidelium confessiones audiendi privilegiò munitum esse existimet &c. solâ ejusmodi taciturnitate subditum suum absolvendi licentiam dare, in eumque jurisdictionem delegare, non rectè præsumitur.

Neque cum hoc pugnat; quòd coram extraneo sacerdote, presentè & non contradicente Parocho, contrahentium matrimonia subsistant, & Parochi presentis taciturnitas pro tacita licentia habeatur per tradita *Lib. 4. tit. 3. n. 69.* quia hoc casu Parochi taciturnitas pro licentia tacita idcirco vel maximè habetur; quòd, cum Parochus fere certus sit, suorum Parochianorum matrimonii assistendi licentiam aliunde non haberi, præsens & extranei sacerdotis assistentiæ ma-  
rimoniali

rimoniali, cùm facile posset, non contradicens, in eam tacitè consentire præsumatur: sicut etiam jurisdictionem tacitè delegare præsumeretur, si neque pœnitentem, neque sacerdotem ejus confessionem excipientem cuilibet sacerdoti confitendi, vel quorumlibet confessiones audiendi privilegio munitum, & aliunde acceptam jurisdictionem non habere sciens, ac præiens, cùm sine incommodo posset, non contradiceret sed acquiesceret, *citt.* Suarez *n.* 17. Coninck *Disp.* 8. de *Pœnit.* *n.* 35. & Palao *Tract.* 23. *disp.* univ. *p.* 14. *n.* 3. *in fine.*

63. Præterea non sufficit delegatio præsumpta sub conditione, quòd superior confessiones excipiendi licentiam concederet, si sciret, vel ab eo peteretur; quia valor absolutionis exigit jurisdictionem in sacerdote actu existentem, non solummodo futuram; cùm, quæ actu non existit, actu non operetur: & absolutio, quæ propter jurisdictionis actualis defectum nunc invalida est, valida effici amplius non possit, *citt.* Suarez *Disp.* 7. *f.* 4. *n.* 16. & Lugo *n.* 22.

64. Demum etiam non sufficit licentia solummodo petita; quia, ut dictum, jurisdictione ab eo, qui delegare valet, non acquiritur solâ licentiæ petitione: sed exigitur illius consensus & voluntas, quâ eam dare velit, verbò, scripturâ, nutu, aliove signò vel indicio externò sufficienter manifestata, *citt.* Suarez *n.* 20. & Laiman. *n.* 15.

65. Tertiò jurisdictio pro foro Pœnitentiæ acquiritur privilegio: quòd à sede Apostolica obtento omnibus Religiosis præcipuè Mendicantibus concessum est; ut quorumcunque fidelium ad eos accedentium confessiones audire possint, eosque absolvere à quibuscunque peccatis, etiam sedi Apostolicæ reservatis, & à quibusvis censuris & pœnis Ecclesiasti-

cis ex illis resultantibus, exceptis iis, quæ Bullâ Cænz comprehenduntur, *Constitut.* Pauli III. quæ incipit *Cùm inter* 3. Junii 1545. & *Constitut.* Gregorii XIII. *Alleg.* in *Compend.* Privileg. Soc. JESU *V. Absolutio* §. 1. Circa quod privilegium probè notanda duo sunt.

Prius est, illud immediatè concessum ipsi Ordinibus Religiosis; ut illò istorum Prælati uti ipsi, & id communicare valeant sibi subditis & ab Ordinario approbatis Religiosis particularibus, quos ad Sacramentum Pœnitentiæ fidelibus ministrandum idoneos judicaverint, ut colligitur ex *Clement. Dudum* 2. §. *Statuimus* ibi, *Ut Fratres, qui ad hoc à superioribus suis Regularibus electi fuerint, confessiones audire liberè valeant* &c. de *Sepult.* & de *Societate JESU* Suarez *Tom.* 4. de *Religione tract.* 10. *Lib.* 9. *cap.* 2. à *n.* 3. de aliis Religionibus Miranda *Tom.* 1. *Manual. Prælat.* 9. 45. *art.* 12. Laiman. *cap.* 10. *cit.* *n.* 19. & alii tradunt. Unde consequens Imprimis est, Religiosos particulares fidelium confessiones excipiendi sacro muneri sine Prælatorum & similium superiorum suorum consensu & voluntate se ingerere non posse: & si se ingerere præsumant, collatas ab ipsis absolutiones (communi errore seclusò) invalidas esse. Deinde, iisdem Religiosis particularibus confessiones excipiendi facultatem à superioribus suis restringi ad certos duntaxat fideles v.g. ad viros posse; ut istorum duntaxat, non etiam foeminarum confessiones excipere valeant. Demum, iisdem semel concessam jurisdictionem & confessiones excipiendi facultatem ex iusta, etiam non notoria causa, v.g. ob se prodentem scientiæ defectum vel timorem indebitæ administrationis Sacramenti, vel in alicujus delicti commissi pœnam iterum posse auferri; ut Sacramentum sine nova licentia invalidè admini-



administrent : quantumvis, si alicui illius administrationem simpliciter interdiciant, jurisdictionem ad valorem absolutionis necessariam, si non exprimant, auferre voluisse, non præsumantur, *citr.* Suarez *cap. 2. n. 27.* Miranda *q. cit. art. 3.* & Laiman. *cit. n. 19.*

67. Posterius est, vi illius privilegii, licet generaliter & respectu quorumcumque fidelium ad Religiosos accedentium concessum sit, excipi non posse confessiones Religiosorum Ordinis diversi: qui, si alterius confessorii eligendi licentiam non habeant, à tali absolvi regulariter non possunt: sed pro peccatorum suorum absolutione obtinenda adire debent sacerdotem sui Ordinis, ab istius superiore deputatum. Ratio est; quia privilegio generali, si non exprimitur, derogatum non censetur statuto vel consuetudini particulari, *c. 1. de Constitut. in 6. Reg. In 1610 jure 80. ff. & Reg. Genervi 34. in 6.* Regularium autem & laudatissimæ observantiæ Ordinum plerique muniti sunt speciali privilegio: in iisve consuetudine receptum est; ne eorum Religiosi contra superiorum suorum voluntatem aliis confiteantur, ut constat ex *Extravag. 1. §. Electi. V. Non Religiosus. de Privileg. ex Compend. Privileg. Cisterciens. V. Confessor. §. 3. Mendicant. V. Eodem §. 6. & 7. Societatis JESU V. Confessorius §. 5. &c.* & disertè docent Rodriguez *Tom. 1. Regular. q. 60. art. 6. & q. 62. art. 5. cit.* Suarez *Tract. 8. Lib. 2. cap. 16. à n. 12.* & Laiman. *n. 20.* id extendentes ad confessiones Monialium, quæ confiteri debent sacerdotibus à propriis ipsarum Prælati approbatis, *Regulariter*, inquam, propter Religiosos itinerantes, qui, si sacerdotis sui Ordinis copiam non habeant, alterius Ordinis Regulares vel Seculares sacerdotes accedere, & ab his (reservatorum tamen

non nisi sub obligatione superiori suo fessistendi) absolutionem obtinere valent, *citr.* Rodriguez *q. 62. art. 5.* & Suarez *cap. 17.* qui aliq̄ue DD. *citr.* de hoc Regularium privilegio plura dabunt.

Quartò, fori interni jurisdictionem 68. consuetudine legitime præscripta acquiri, cum Panorm. *in c. fin. n. 5.* & Franco *in c. Si Episcopus 2. in 6. n. 3.* docent Navarrus *in can. Placuit. 3. dist. 6. de Panis. n. 40.* Sylvester *V. Confessor. n. 8. in fine, cit.* Laiman. *Tract. 7. cap. 5. n. 4.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 36. not. 3.* Iam tamen, si jurisdictionis illius possessio vel quasi bonâ fide continuata sit 40. annis cum titulo, vel tantò tempore, cujus initii memoria non exiit, *arg. c. 1. de Præscript. in 6.*

Neque in contrarium facit reprobatio consuetudinis, tribuentis facultatem eligendi sacerdotem non suum sine licentia proprii pastoris, prodita *c. Si Episcopus cit.* quia consuetudinis reprobatio solum generalis non afficit immemoriam & huic æquivalentem, per tradita *ad Rubr. de Consuet. n. 46.* Cujus ratio est; quia consuetudo & præscriptio immemorialis æquiparantur privilegio, ex certa scientia à Principe concessio, *c. Super quibusdam 26. §. Præterea, de V. S. & l. Hoc jure 3. §. 4. ff. de Aqua quot. & ast. Menoch. Lib. 3. præsumpt. 131. n. 34.* Gonzalez *ad Reg. 8. gloss. 33. n. 4.* & Barbosa *in c. Super cit. n. 7.* quam proinde consuetudinis ac præscriptionis derogatio generalis non afficit, nisi ejus faciat mentionem, *arg. c. 1. de Constitut. in 6. & Reg. Genervi cit.* Quare verisimilius est, hujusmodi præscriptionis & consuetudinis vi à communitate aliqua confessoris eligendi facultatem acquiri posse: & si hæc nequeat, fori tamen interni jurisdictionis vi illà poterit acquiri; quòd istam confereas minus suspecta sit de irrationalitate,

bilitate, ullôque Jure reprobata non reperiatur.

69. Quinto, eandem jurisdictionem tribuit, illiusve, aliò titulo legitime non acquisita, defectum benigna & provida mater Ecclesia supplet casu, quò sacerdos potestatem absolvendi ordinariam vel delegatam habere, communi errore existimatur, arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prat. & s. Veruntamen, post can. Infamis 3. q. 7. quod tali casu illius defectum suppleri exposcat utilitas, imò necessitas publica animarum; ne ab aliena malitia & communi atque inculpatâ ignorantia patiantur detrimentum. Qua de re actum est Lib. 2. tit. 1. art. 3.

## ARTICULUS IV.

## De Casuum Reservatione.

## SUMMARIUM.

70. Reservatio, Ecclesie & animarum bono introducta,  
 71. Afficit sola peccata mortalia,  
 72. Modò, lege reservante expressò, consummata,  
 73. Ecclesie Clavibus antè non subiecta & remissa,  
 74. Et quorum reservatio jure certa est.  
 75. Merè interna reservationi obnoxia sunt,  
 76. Quando cum actu externo mortali sunt conjuncta.  
 77. Peccata sibi reservare non solent parochi:  
 78. Et Episcopi non debent, nisi magna moderatione.  
 79. Certi duntaxat casus reservari permitti pro Regularibus,

80. Et reservati sunt pro Religiosis Societatis JESU.  
 81. Reservatio alia Penalis & alia non Penalis est.  
 82. Quarum hanc, non etiam illam, incurrunt ignorantes.  
 83. A reservatis absolvunt, qui & quibus peccata reservarunt.  
 84. A casibus Papalibus pueros, mulieres, senes & Episcopi,  
 85. Religiosi Mendicantes & aliquando alii:  
 86. Ceteros fideles Episcopi, si casus illi occulti,  
 87. Et Mendicantes absolvunt, si Bullâ Cœna non contineantur.  
 88. A casibus Episcopalibus iidem non absolvunt sine licentia Episcoporum:  
 89. A quibus delegati etiam peregrinos absolvere possunt.  
 90. Regulares à reservatis fere superiores immediati & ab his delegati:  
 91. Et ex privilegio aliquando alii absolvunt.

**C**asus reservati vocantur graviora quædam & valde enormia peccata, à quibus inferior confessarius pœnitentes, in quos alias ordinariam vel delegatam jurisdictionem habet, absolvere nequit propter defectum jurisdictionis, ad illa sibi non concessa vel ablata; ut propterea ejusmodi peccati commissi sibi conficito extra mortis articulum pro absolutione, vel confessario pro facultate illum absolvendi recurrendum sit ad Papam, Episcopum, aliumve Prælatum vel superiorem, qui ab ejusmodi peccatis absolvendi potestatem inferiori denegatam vel ablatam reservandò sibi appropriavit: ut colligitur ex Concilio Tridentino, peccata quædam non

H h h

dam non

dam non in externo duntaxat, sed in interno quoque seu Pœnitentiali foro peculiari suo iudicio & absolutioni reservandi potestatem summo Pontifici respectu Ecclesiæ universæ, & respectu propriæ suæ diocesis cuilibet Episcopo, *In adificationem tamen, non in destructionem*, competere, definitivè pronuntiant *Sess. 14. cap. 7. & can. 11. de Sacram. Pœnit.* idque maximè Ecclesiæ & animarum bonò, partim; quòd, sicut ad Ecclesiæ politicam & externam, sic & ad internam gubernationem sive animarum regimen spectet, non quavis quantumcunque enormia peccata à quovis confessario dijudicari ac remitti; cum quædam exactius iudicium peritiàmque iudicis, severitatem cum benignitate temperare, & corrigere pariter ac mederi scientis, exposcant; partim verò; quòd necessitate adeundi superioris & absolutionis consequendæ difficultate quasi freno quodam fideles coerceantur in officio, & à graviorum criminum perpetracione retrahantur. Unde

71. Dubium oritur primò, quænam peccata obnoxia sunt reservationi. Quæ in re inter DD. satis convenit Primò, reservari posse mortalia, quibus excommunicatio aliæ censura annexa non est; licet talia duntaxat Apostolicæ absolutioni de facto reservata fuisset, aliqui velint.

72. Secundò reservationes, si aliud non exprimat, exaudiendas de peccatis in genere suo consummatis: & non quomodocunque, sed eò modò, quò ipsa lege reservante exprimitur, v.g. *Temerè scienter, presumptuosè* commissis ac perfectis; quia verba legum accipienda sunt cum effectu, *l. 1. §. 2. ff. Quod quique juris in alt. & c. Relatum 4. de Cleric. non resid.* Glossa *fm. in c. Qualiter 3. de Pœnit. & Tuschus Prætic. V. Verba, conclus. 90. à n. 1.*

73. Tertio reservationi propriè dictæ

obnoxia esse sola mortalia, Ecclesiæ Clavibus antè non subjecta vel remissa; quia hæc sola sunt materia necessaria Pœnitentiæ Sacramenti. Neque refert; quòd etiam ad venialium absolutionem necessaria jurisdictio tam ordinaria quàm delegata adimi vel suspendi queat à Papa; quia reservare propriè non solum est inferiori adimere jurisdictioem ad absolvendum, sed sibi appropriare iudicium & pœnitentem obligare ad peccati confessionem ipsi reservanti istiusve superiori, ab iisve delegato vel privilegiato faciendam: cum quali obligatione venialium reservatio fieri eò ipsò nequit; quòd ea confitendi obligatio non sit, eorumque remissio variis modis sine Sacramentum valeat obtineri, Suarez *de Pœnit. disp. 29. f. 3. n. 2.* Laiman, *Lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 3. concl. 2.* & Lugo *de Pœnit. disp. 20. n. 14.*

74. Quarto, in dubio an peccatum reservatum sit vel mortale, id reservatum non censeatur, cum; quia ob eusmodi dubiorum frequentiam Sacramentum Pœnitentiæ confidentibus, eusque administratio confessariis nimis onerosa & exosa foret, si reservatio in omni dubio esset observanda: tum verò; quia reservatio odiosa, ac proinde restringenda potius est quàm amplianda, *arg. Reg. Oidia 15. in 6. cit. Suarez de Censur. disp. 40. f. 6. n. 5. Lugo n. 18. & Diana p. 4. irati. 3. resol. 4.*

75. Quintò, sicut venialia, sic & merè interna reservationi obnoxia esse, aliqui negant & suadet ratio; quòd Ecclesiæ jurisdictio externæ, eusque præcepto & prohibitioni subiecti non sint æctus merè interni, *c. Sicut tuus 33. & c. Tua nos 34. de Simonia*; atque idcirco peccatis merè internis imponi nequeant censuræ, *can. Cogitacionis 14. disp. 1. de Pœnit. ut ad Tit. 39. n. 13.* dicitur. Sed alia, quàm

alia, quàm venialium ratio est peccatorum mortalium merè interiorum, solaque cogitatione consummatorum; cum enim ista sint materia necessaria Pœnitentiæ, remittenda sunt per Sacramentalem absolutionem; & quia huiusmodi absolutio obtineri nequit sine actuali jurisdictione, hæc respectu eorum inferiori sacerdoti denegata vel adempta, peccata merè interna propriè dicta reservatione affecta erunt, ut cum Soto *in 4. dist. 18. q. 2.* docent *citt.* Suarez *f. 3. n. 3.* Laiman. *n. 3.* & Lugo *n. 13.*

Neque contrarium persuadet ratio dubitandi, partim; quia paritas non est cum censuris; cum istarum impositio actus sit jurisdictionis contentiosæ, ad actus internos se non extendentis: partim verò; quia reservandi potestas præcipuè consistit in denegatione vel ademptione jurisdictionis, sufficientis ad conferendam absolutionem à peccato: & in istius iudicii à reservante sibi facta appropriatione, fere sicut per factam à Papa reservationem dispensationis in Continentiæ & Religionis votis merè internis. Ita DD. *citt.* qui tamen rectè monent, merè interiorum peccatorum reservationem, sicut si proponatur observandam, sic in usum non facile deductam vel deducendam.

76. Quin etiam, si actus externus mortalis non sit quoad externas circumstantias: sed solummodo ratione affectus interni, à quo procedit, vg. si furtum rei levis animò magnam auferendi, ac proinde affectu mortaliter peccaminosò commissum sit, reservatum non erit; quòd res externa ablata secundum se & externas circumstantias considerata ad mortale sufficiens materia non sit, *citt.* Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 18. n. 12.* Lugo *n. 15.* & Bonacina *Disp. 5. de Sacram. q. 7. v. 5. n. 4.* qui hinc inferuat casu, quò in Religione ali-

qua reservatus est omnis actus externus & voluntarius contra votum Castitatis, tactus, aspectus animò etiam venereo exercitos pro reservatis non habendos: nisi ejusmodi actio, secundum se & externas circumstantias inspectata, habeat aliquam gravitatem mortalem.

Dubium est secundò de iis, qui peccata reservandi obtinent potestatem. 77. Et hanc quidem non Papæ duntaxat & Episcopis hisque similibus: sed inferioribus etiam Prælatibus, tam secularibus quàm Regularibus fori interni jurisdictionem ordinariam vel delegatam concedere valentibus competere, res certa est, docetque magister usus: qui, licet non ita militet pro Parochis hisque similibus curatis, his tamen etiam reservandi potestatem, & merito adstruunt *citt.* Suarez *Disp. 29. f. 1. n. 4.* & Lugo *Disp. 20. n. 2.* cum ipsi quoque cooperatoribus suis & sacerdotibus aliis jurisdictionem in oves suas committendo eam restringere, & certos casus excipere, licet non soleant, eorumque reservatione parochianos gravari, non expediat, Jure non prohibeantur.

Multò minus quàm parochis reservandi potestas Jure restricta est Episcopis. 78. Sacra tamen Synodus Tridentina *cap. 7. cit.* eos apertè monet, illà potestate sic utendum; ut, quòd ratio dicat, reservatio, quam faciunt, *Non in destructionem, sed adificationem cedat*, itaque moderata sit; ut fidelibus summè necessarium Sacramentum non reddat nimis onerosum, & aniam præbeat sacrilegè confitendi. Ex consuetudine autem reservari in Episcopatibus potissimùm solent homicidium voluntarium, quamvis sit occultum; erimen incendiariorum, hisque auxilium præstantium; sacrilegium per loci sacri effractionem, despoliationem, voluntariam illique injuriosam hu-

H h h 2 mani fat-

mani sanguinis aut feminis effusionem commissum; perjurium in iudicio & falsum testimonium in eo dictum; falsificatio literarum; violenta manus injectio in parentes; fortilegium sive magiæ exercitium; peccata, quibus iure annexa est irregularitas; adulterium notorium eoque graviora carnis aliæque delicta valde enormia & publicè scandalosa, Laiman. cit. *Traët. 6. cap. 10. n. 4.*

79. Prælati etiam Regularibus referendi facultas, ne indiscreto ejus abusu plus æquò gravent subditos, à Clemente VIII. *Motu proprio 1593.* edito restricta est designatione undecim casuum, qui ab illis, si velint & consultum iudicent, sibi refervari possint, scilicet *Primò veneficia, incantationes, sortilegia. II. Apostasia à Religione, sive habitu dimisso sive retento; quando eò pervenerit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat. III. Nocturna ac furtiva à Monasterio seu Conventu egressio, etiam non animò apostatandi facta. IV. Proprietas contra votum Paupertatis, que sit peccatum mortale. V. Juramentum falsum in iudicio Regulari seu legitimo. VI. Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam effectum non subsequuto. VII. Falsificatio manus seu sigilli Officialium Monasterii aut conventus. VIII. Furtum de rebus Monasterii seu conventus in ea quantitate, que sit peccatum mortale. IX. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. X. Occisio, vulneratio seu gravis percussio cujusque persona. XI. Malitiosum impedimentum aut retardatio aut apertio literarum à superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores, Laiman. cit. *Traët. 6. cap. 12. n. 6.* ultra quos à Palao *Traët. 23. disp. unic. p. 15. §. 2. à n. 16.* declaratos, si Regularium Prælati pro Religiosæ observantiæ con-*

servatione & puritate conscientiæ aliquos existiment reservandos, id laudatus Pappa aliter non permittit, quam *Cum materia discussione & consensu Capituli generalis pro toto Ordine, vel pro parte: & Capituli Provincialis pro tota provincia, vel pro parte.*

In Societate JESU ad majorem animi puritatem & Religiosæ Perfectionis studium in subditis conservandum undecim, Clementinâ *Constitutione cit.* expressis, decem additi sunt autoritate Congregationis Generalis quintæ, videlicet. *I. Perjurium & falsum testimonium in iudicio & extra. II. Furtum & Usurpatio alicujus rei contra votum Paupertatis in ea quantitate, que efficiat peccatum mortale. III. Lapsus carnis voluntarius, & quidquid est contra votum Castitatis, quod in actum externum prodeat. IV. Inobedientia expressa, quâ quis aserit, se nolle parere. V. Seditio in superiorem & divisio à capite in grave nocumentum Societatis. VI. Detractio fame bonæque existimationis aliorum & discordiarum seminatio inter Fratres. VII. Impedimentum excludens è Societate reticuisse in examine, vel in eo mentitum esse, unde grave incommodum oriri possit. VIII. Acceptio seu missio literarum absque licentia expressa: que scilicet acceptio vel missio contineat rationem peccati mortalis. IX. Transgressio votorum simplicium, que professi emittunt post professionem. X. Censura Societatis nostræ seu peccata, que in nostris Constitutionibus, Bullis, vel Decretis annexam habent excommunicationem. Ut habetur Ordinationum Generalium *cap. 5.* & ex his refert Palao *cit. cap. 15. §. 3.* singulos casus accurratè declarans.*

Dubium tertio est, an reservatio nem incurrant ignorantes. Quod ex RR. TT. numerò & nomine potiores resolvunt auxiliò distinctionis inter Pœnalem & non-

& non-Pœnalem reservationem: quam illa delicto in ejus odium & pœnam imponitur, itaque imposita censetur, quando lege specialiter ipsum delictum prohibetur simul & punitur: sicut sunt reservationes peccatorum, quibus lege aliqua Ecclesiastica censura aliave pœna est annexa. Ista sive non-Pœnalis & merè medicinalis est, quæ delicto solum imponitur in bonum fidelium & Ecclesiæ vel Religiosæ familiæ rectam gubernationem: quò modò facta censetur, cum imponitur simpliciter, sive lege delictum non simul specialiter prohibente, Sanchez *Lib. 9. de Matrim. disp. 33. n. 18. Palao Tract. 2. disp. 1. p. 17. n. 8.* & *Stoz Tribunal. Pœ-*

**82.** *nit. p. 2. q. 2. n. 59.* secundum quos aliosque DD. legis delictum reservantis, ignorantia saltem invincibilis delinquentem à pœnali duntaxat, non etiam à non-pœnali reservatione excusat. Ratio de ista sive non-pœnali & merè medicinali est; quia est absoluta ablatio jurisdictionis, sine qua pœnitentis absolutio non subsistit, sive delictum scienter sive ignorantes perpetrarit. De pœnali autem; quia hæc, sive per legem actum simul prohibentem ac punientem facta, sequitur naturam legis pœnalis, quæ delicto annexa pœna ab eo, qui legem prohibentem eaque delicto impositam pœnam invincibiliter ignorat, ipsò factò sive delicti perpetratione non incurri, Verisimilius dictum est *Lib. 1. tit. 2. n. 101.* Neque obstat; quòd pœnali etiam reservatione jurisdictionis confessario inferiori denegetur vel auferatur; quia hoc non fit omnino absolute, sed sub tacita conditione: Nisi delinquens legem eaque proditam reservationem invincibiliter ignorarit.

**83.** Dubium quartò est, quis absolvere valeat à casibus reservatis. Cujus satis expedita resolutio est, id posse non eum duntaxat, à quo & cui absolutio est re-

servata: sed reservantis etiam superiorem, & qui ab isto vel illo delegante delegatam in reservata obtinent potestatem, nec non quamlibet Sacerdotem in articulo mortis; quòd in isto omnis reservatio cesset ex decreto S. Synodi Trident. *Sess. 14. cap. 7. de Sacram. Pœnit.* à quorum aliquo, & in articulo illo à reservatis, censuram annexam non habentibus, à quovis sacerdote, juxta dicta *n. 52.* absolutus liber est ab onere sive obligatione alteri superiori se sistendi: nisi delegato in reservata potestas sub hujusmodi obligatione fuisset concessa: quòd fieri posse vix erit, qui inficias eat.

Dubium quintò est, an à peccatis **84.** Papæ reservatis absolvere valeant inferiores. Et ab Episcopis quidem mulieres, pueros, senes, valetudinarios, eos qui sui juris non sunt: & alios, quò minus pro absolutione Papam vel istius Legatum adire valeant, perpetuò aut diu duraturò impedimentò detentos à quibusvis casibus Papæ reservatis absolvi posse, à DD. communiter & rectè desumi solet ex *c. Mulieres 6. c. De catero 11. c. Ea noscitur 13. c. Quod de his 26. c. De monialibus 33. c. Quamvis 58. de Sent. excom. & c. Eos qui 22. eadem Rubr. in 6.* qui canones, licet de peccato & excommunicatione, violentà munus injectione in clericum vel monachum contracta, omnes loquantur, eorum tamen dispositio rectè exauditur vel extenditur ad omnes alios casus ac censuras summo Pontifici reservatas; quòd eadem ratio militet in omnibus; atque idcirco casus Papales, superveniente perpetuò vel diu duraturò impedimentò ad eundem Papam, Episcopales evadere Regulam communiter receptam asserit *Lai-man Lib. 1. tract. 5. p. 2. cap. 6. n. 5.* Ratio est; quia hujusmodi impedimentum æquivalet articulo mortis; cum morale periculum sit; ne eò detentus decedat,

H h h 3 ante-

antequam Papam ejusve Legatum adeundi habet copiam, & absolutionis beneficium consequatur. Ita aliis DD. relatis Palao *Disp. Unic. cit. p. & §. 4. n. 2. & Tract. 4. disp. 4. p. 3. §. 5. à n. 4.* Dicastillo de *Penis. disp. 11. n. 268.* à Papæ ejusque Legati accessu perpetuo vel diu valde impeditos etiam à casibus Bullæ Cœnæ comprehensis absolvendi potestatem Regularibus Mendicantibus adstruens, non obstante decreto Clement. VIII. 9. Junii edito; quòd, licet istò habeatur, ut Regulares *In nullo casu, etiam necessitatis & impedimenti, nisi in articulo mortis* absolvere præsumant à casibus Bullæ Cœnæ & aliis quinque n. 87. referendis; cum, quia Urbanus VIII. aliò decreto 17. Novemb. 1628. editò clausulam illam omisit: tum verò; quia hujusmodi perpetuum vel diuturnum impedimentum æquivalet articulo seu periculo mortis.

35.

Quod si ex tali impedimento neque Papa ejusve Legatus, neque etiam, quod raro eveniet, Episcopus vel Regularis aliquis privilegiatus adiri queat, ab ejusmodi casibus absolutionem à proprio parcho, & hoc quoque deficiente, ab alio approbato atq; etiam simplici sacerdote obtineri posse, cum Tamburino de *Casib. Reservat. cap. 12. §. 2. n. 28.* ex eadem ratione censet *cit. Stoz n. 68.*

36.

Extra mortis articulum & huic æquivalentis impedimenti casum, Episcopi subditos suos à casibus Papalibus occultis & ad torum contentiosum non deductis in foro conscientie absolvere possunt vi decreti Concil. Trident. *Sess. 24. cap. 6. de Reformat.* quò concessam Episcopis facultatem per Bullam Cœnæ non revocatum, docent *cit. Palao §. 4. num. 2. & multi alii, relati à Barboza in cap. 6. cit. num. 52.*

37.

Parochis aliisque Sacerdotibus curatis à casibus Apostolicæ sedis reservatis absol-

vendi potestas Jure communi concessa non reperitur.

Religiosis quoque etiam Mendicantibus eam, seclusis privilegiis, non competere, liquet ex *Clement. Dudum 2. de Sepult. & Clem. 1. de Privileg.* quarum Constitutionum prioris §. *Per hujusmodi* quoad absolutionem à casibus sedis Apostolicæ reservatis ipsis potestate majorem, quam curatis & parochialibus Sacerdotibus Jure concessam, disertè negatur: posterioris §. *Quibus etiam* Religiosis sub æternæ maledictionis interminatione inhihetur, ne à casibus reservatis sedis Apostolicæ vel locorum Ordinariis quemquam absolvant. *Seclusis*, inquam, *privilegiis*; quia istorum à sede Apostolica indultorum vigore à Religiosis Mendicantibus quovis fideles ad ipsos accedentes à casibus Papalibus, exceptis iis, qui in Bulla Cœnæ continentur, absolvi posse, supra dictum est n. 65.

Excepti quidem, & Bulla istà comprehensis à Clemente VIII. decreto *cit.* additi sunt quinque casus, scilicet Extractio reorum ex Ecclesia vel cæmeterio contra *Constitut.* Gregor. XIV. quæ incipit *cum aliis*, editam 9. Calend. Junii 1591. & *Lib. 3. tit. 49. à n. 25.* relatum; Violatio clausuræ monialium ad malum finem Castitatis contrarium; Duellum in forma Concilii Trident. *Sess. 25. cap. 19. de Reformat.* Percussio clericici vel monachi, si non levis, sed mediocris vel gravis sit; Simonia Realis vel Confidentialis. Sed ab Urbano VIII. decreto *cit.* declaratum est, Regularibus ab aliis peccatis & censuris, præterquam in Bulla Cœnæ & per Ordinarium loci reservatis absolvendi potestatem, si quam habeant, per *cit. Clementis Papæ decretum* extra Italiam ablatam non fuisse, ut observat. *cit. Stoz n. 60.*

Dubium sextò est de absolutione à casibus Episcopalis. Quæ Vicario Episcopali

Scopi in Spiritualibus generali & Poenitentiaro, & frequenter etiam Decanis ruralibus ac parochis committi solet. Ab iisdem absolventi potestatem vi privilegiorum suorum, non requisita vel obtenta Episcoporum licentia, sibi quondam vendicabant Regulares saltem Mendicantes: quibus tamen aperte obstant *Decreta Alexandri VII. 24. Septemb. 1665.* edita & inter alias prohibitas etiam reprobantia propositionem, *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Unde hodie Regularium superiores ab Episcopis petere solent à casibus illis absolventi facultatem per subditos suos, ad excipiendas secularium confessiones Episcopali auctoritate approbatos, exercendam.

9. Dubium septimò est, an, qui in dioecesi à reservatis absolventi potestatem habet, eam exercere valeat in advenas & peregrinos. Qua in re Navarr. in *can. Flacuit 3. dist. 6. de Poenit. n. 63.* & Sotus *dist. 18. q. 2. art. 4.* Negativam: Affirmativam autem meliori ratione in suis *Tract. de Poenit.* defendunt Suarez *disp. 30. s. 1. n. 4.* & Lugo *disp. 20. n. 71.* quòd, cum ex tacito consensu Prælatorum & consuetudine generali à dioecesium confessoribus peregrini perinde ut incolæ absolvantur, illis commissa à reservatis absolventi potestas non minus in peregrinos quàm incolas sive dioecesanos subditos possit exerceri. Quâ ratione ducti RR. cum DD. *citr.* peregrinos, in aliena dioecesi bonâ fide exièntes, à peccatis in utraque, vel in sua tantùm dioecesi reservatis absolvi posse, sultinent, si peccata in sua duntaxat, non etiam in ea, in qua existunt, dioecesi reservata confiteantur, partim; quòd, ut dictum, ex generali consuetudine & tacito Prælatorum consensu in aliena dioecesi existentes, quoad peccatorum confessio-

nem, perinde ut istius dioecesanis æstimentur: partim; quòd istius dioecesis confessorii, quamnam peccata in extranea dioecesi reservata sint, scire, & istius subditos sibi constantes de iis interrogare, non teneantur.

Dixi tamen, *Bonâ fide;* quia malâ, hoc est, ad alienam dioecesin eò præcisè animo transeuntes, ut in istâ à reservatis absolutionem consequantur, ab istius confessoribus reservatorum absolutionem consequi posse, DD. passim negant; quòd, ne reservatio elusoria reddatur, iurisdicctio ad subditorum suorum, ad alienam dioecesin ita transeuntium, absolutionem necessaria extraneis confessoribus consuetudine vel tacito consensu Episcoporum delegata non censetur.

Dubium octavò est, quis absolvere 90. valeat à casibus, pro Religiosis sibi subditis reservatis ab Ordinis Generali vel Provinciali. Et ab his quidem à casibus, quos sibi reservârunt, absolutionem obtineri, vel absolventi facultatem aliis concedi posse, liquet ex dictis. Extra casum etiam, quo peccatum ab ejusmodi superiore suæ absolutioni specialiter reservatum est, ab illo absolventi, & absolventi facultatem inferioribus committendi potestatem Localibus & immediatis Superioribus competere, rectè docent *citr.* Suarez *Tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 19. n. 16.* & Palao *citr. p. 15. s. 4. n. 5.* Ratio est; quia generaliter peccata reservata pro Regularibus, si ea ipsius Generalis vel Provincialis absolutioni reservari, non exprimitur, Religiosorum Superiori immediato reservata censentur; quòd, peccata Generalis vel Provincialis plerumque absentis absolutioni reservari, ordinariè non expedit: & durum nimis sit Religioso delinquenti, qui directâ absolutione à peccato reservato sæpe nimis diu carere cogeretur.

An Re-



An Religiosi reservatis gravati ab aliis, quam à reservante vel superiore immediato delegatis, sui vel alterius Ordinis Religiosis, illorū absolutionem consequi valeant, dubitandi ratio est; quòd omnibus, saltem Mendicantium Ordinum, Religiosis quosvis Christi fideles à quibusvis peccatis & censuris, Bullâ Cœnæ non comprehensis, absolvendi facultas sit indulta, juxta Compend. Privileg. Societ. V. *Absolutio*, §. 1. Sed istius indulti vi neque sui neque alieni Ordinis Religiosum, sine proprii istius Prælati vel Superioris licentia, absolvi posse, jam monui num. 67.

¶ I. Quare ejusmodi Religiosi ab aliis, quàm à reservante, ab istius superiore, vel poenitentis Superiore immediato delegatis, absolutionem consequi nequeunt, nisi muniti sint privilegiò speciali: cujusmodi varia, FF. Minoribus à Sixto V. concessa, refert Rodriquez Tom. 1. *Regular. q. 62. art. 6.* ex quibus notatu dignum illud est, quòd quilibet ejus Ordinis professus & novitius semel in vita & articulo mortis eligere valeat confessorium ex Ordine suo ab istius prælato approbatum, qui, in junctâ salutari Poenitentia, eum ab omnibus criminibus excessibus & censuris, etiam reservatis, absolvat. FF. etiam Prædicatores, ex superioris sui licentia iter agentes (non etiam fugitivi & Apostatæ) ex speciali privilegio Innocentii VIII. à quocunque crimine, quantumcunque reservato, absolvere potest quivis confessorius tam Secularis quàm Regularis, sicut proprii Ordinis confessorius, facultatem à Superiore obtinens, ut referunt *cite. Rodriquez q. 62. art. 5.* & Suarez *cap. 15. n. 3.* qui tamen, privilegium hoc ab aliis Religionibus acceptatum, negant, & ambigunt, an sub ea generalitate in praxim deductum sit in ipso Ordine Prædicatorum. Priori etiam Minorum privilegiò

licet uti valeant, quicumque Mendicantium privilegiis gaudent per communionem, ejus tamen usum Palao *cite. §. 4. n. 6.* interdictum ait Religiosis Societatis JESU; quòd hi ab alio quàm à Superiore suo delegato confessorio absolvi, Constitutionibus Apostolicis prohibeantur.

Quæ circa delegationem facultatis absolvendi à reservatis, & istorum absolutionem à Superioribus & confessoribus observanda sint, ex officio & latè dabunt Theologi Morales.

## ARTICULUS V.

## De Sigillo Sacramentali.

## SUMMARIUM.

92. Poenitentis peccatum revelari nequit,
93. Prohibente Jure Naturali & Divino:
94. Uti tamen licet ejus notitiâ aliunde acceptâ,
95. Et acceptâ ex Confessione cum licentia poenitentis.
96. Sigillò tenetur Sacerdos, cui is peccata sua est confessus:
97. Et, qui confessionis notitiam undecunque acceperunt:
98. Poenitens non Sigillò Sacramentali:
99. Aliquando tamen naturali secretò tenetur.
100. Sigillò tenetur Sacerdos, cui poenitens illud:
101. Saltem, cum de illudendi animo certò non constat.
102. Idem de peccatis liberè loqui nequit poenitenti:
103. Saltem post judicium Sacramentale plene finitum.

104. In gubernatione superior uti nequit  
notitiâ, acceptâ ex confessione,  
105. Uti, qui hanc reddere potest onero-  
sam & exosam.  
106. De iudem peccatis in specie loqui  
etiam non licet suppressò nomine  
pœnitentis;  
107. Saltem, si istius manifestandi peri-  
culum non absit.  
108. Sigilli violatio Religionis,  
109. Et Iustitiæ Virtutibus adversatur;  
110. Estq; peccatû ex genere suo mortale.  
111. Eadem neque ex sola parvitate ma-  
teria veniale;  
112. Nisi quatenus Iustitiæ adversatur;  
113. Neque ullâ dispensatione licita red-  
di potest.

92. **S**igilli nomine denotatur obligatio non prodendi seu revelandi peccata, quorum notitiâ habetur ex sola confessione Sacramentali: non Ecclesiastico duntaxat constituta, *can. Sacerdos 2. de Pœnit. dist. 6. c. Dilectus 3. de Excess. Eralat. & c. Omnis 12. V. Caveat, hic.* Sed Naturali quoque & Divinò Jure introducta. Naturali quidem; partim propter tacitam promissionem seu pœtionem, inter confitentem & Sacerdotem intercedentem, indeque ortam, Fidelitatis & Iustitiæ obligationem, *can. fin. dist. 55.* partim verò, propter legem Charitatis dictantem, non faciendum alteri, quod nobis fieri nolumus, per *Summam dist. 1. & arg. c. Cum omnes 6. de Constitut.* Quare, cum nemo sit, qui secreta, præsertim peccata, propriâ confessione alii commissa, alios celari non velit, eadem secretâ revelatione commissa sibi ipse quoque celare tenetur. Divinò autem; quia ex perpetua traditione & praxi Ecclesiæ constat, Sacramentum hoc à Christo Domino institutum; ut fidelibus, quorum salutem spectat, non nimis onerosum sit & exosum; quod tamen

fieret, si peccata in eo Sacerdoti, Dei vices gerenti, secretâ confessione pro obtinenda absolutione detecta, ullo casu & ex ulla etiam gravissima & publicæ necessitatis vel utilitatis causâ prodere, sine ipsius confitentis voluntate liceret, Scotus in 4. dist. 21. q. 2. art. 2. Suarez de Pœnit. disp. 33. f. 1. & Laiman Lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 2. licet aliàs reum vel peccatum occultum, extra Sacramentalem confessionem, cognitum & sub sigillo etiam confessionis (ut aliquando loqui solent) detectum, non manifestandi secretum naturale sive istius obligatio cesset, casu, quò ejus detectione grave malum Reipublicæ impediri, aut etiam alicujus innocentis vita servari posset, Innocent. in c. Omnis cit. n. 7. Panorm. ibid. n. 25. Sylvester V. Confessio 3. q. 5. dicto 4. Navarrus Manual. cap. 18. n. 55. & Sanchez Lib. 3. de Matr. disp. 13. n. 6.

Quantumvis autem Sigilli obligatio 94  
strictissima sit, usum tamen notitiæ peccati, ante vel post confessionem Sacramentalem aliunde acceptæ, non impedit; ut Sacerdos v.g. furti Actionem ante institutam prosequi, aut etiam inchoare absque sigilli violatione possit adversus eum, qui ipsi rei suæ furtivam ablationem in confessione detexit: dummodo utatur solis indicii aliunde acceptis, ut cum D. Thoma Supplem. q. 11. n. 5. Soto dist. 18. q. 4. art. 6. concl. 2. & aliis observat Laiman. cap. 14. n. 3. Qua in re tamen ad evitandum fidelium scandalum agendum cautè; & quod hic Doctor salubriter monet, pœnitentem, si potest, ad alium confessarium ablegari præstaret.

Præterea ipsâ etiam peccati ex sola confessione noti scientiâ uti confessarius potest, ex concessione seu licentia ipsius pœnitentis; cum enim sigilli obligatio principaliter ipsius favore introducta sit, ejus voluntate cessat; ut notitiâ il-

lius usu nulla injuria ipsi, aut Sacramento irreverentia inferatur; cum ex eo, quod notitia ista Sacerdos utatur ex voluntate ipsius poenitentis Sacramentum, onerosum & exosum nemini reddatur, S. Thomas *cit. dist. 21. q. 3. art. 2.* Navarr. *cap. 8. n. 2. cit.* Suarez *f. 5. n. 6.* & Laiman. *n. 14.* Eadem licentia esse debet voluntaria & libera, non vi, dolò, metùve extorta: expressa & formalis; ne peccatum in confessione detectum aliquando reveletur contra voluntatem poenitentis; cum Sacerdos facile decipi & contingere possit; ut poenitenti molestus & ingratus sit licentia solum tacita usus, qui ipsi gratis fore credebatur. Semel autem legitime concessa ad libitum revocari à poenitente potest; cum ejus usus pendeat ex istius voluntate, & huic comensuretur; ut hanc in ulla circumstantia confessari<sup>9</sup> excedere non possit, Navarr. *in c. Sacerdos cit. à n. 151. cit.* Suarez *n. 7. § 14.* & Laiman *n. 14.*

96. Hæc Sigilli Sacramentalis obligatione primò & principaliter Sacerdos tantum, cui pro sacro tribunali sedenti animæ suæ vulnera poenitens detexit: secundariò etiam alii quicumque tenentur, ad quos confessionis notitia quoquò modo, immediatè vel mediatè, justè vel injustè pervenit, ut cum D. Thoma *cit. dist. 21. q. 3. art. 1. q. 3.* Scoto *dist. cit. q. 2.* Navarro *in can. cit. n. 42. § cap. 8. n. 4.* Suarez *Disp. 33. f. 4. n. 8.* & aliis certissimæ Regulæ instar tradunt Laiman *cit. cap. 14. n. 17.* Fagundez *Precept. 2. lib. § cap. 6. n. 26.* & Diana *p. 2. tract. 15. resol. 14.* quòd Poenitentia Sacramentum instituens Christus Dominus fidelibus, eò utentibus, non satis consulisset, si obligationem sigilli non imposuisset omnibus, ad quos ea notitia pervenit; cum, si hi quoque eà non adstringerentur, ab illius usu fideles facile absterrentur.

97. Quare sigilli obligatione etiam tenetur is, cui poenitens bonâ fide confessus est, existimans eum sacerdotem, prædictum potestate absolvendi; cum revera Sacerdos, aut eâ potestate præditus non esset: internuntius, interpres confidentis: huic adstantes, sive ejus peccata præter suam voluntatem, sive ex industria, & cum injuria confidentis ipsiusque Sacramenti irreverentia audiant; ii, quibus Sacerdos sine poenitentis licentia, ac proinde injustè ac sacrilegè ea revelavit: omnes illi, qui imminentis naufragii, prælii, aliòve simili casu peccata sua publicè confidentem audiverunt: qui ante actualem confessionem à poenitente consulitur de modo peccata sua sacerdoti debitè exponendi: cui Sacerdos cum licentia confidentis istius peccatum, consilii absolutionem & directionem spectantis causâ, aperit, & is, à quo istum à reservato absolvendi petit facultatem: qui poenitentis, pro confessione ritè peragenda, peccata sua dictantis calamò excipit: qui in charta descriptam alterius confessionem legit: de quo casu consulentibus clarum & in summam redactum responsum *Lib. 2. Tit. 18. ad finem* dedi: & alii similes, quibus ex melioris notæ TT. præsertim RR. sigilli obligationem imponit P. Stoz *Tribunal. Poenit. Lib. 2. q. 4. art. 5. f. 6. à n. 258.*

98. Dubiù nunc est primò, an sacramentali sigillò etiam teneantur poenitentes. Quod asserenti Navarro *in can. Sacerdos cit. n. 115.* adversatur communis verâque sententia TT. & ratio ipsa; quia obligatio sigilli sacerdoti & aliis imposita est in favorem fidelium poenitentium, & reverentiam Sacramenti; poenitentes autem, sicut peccata sua revelandi licentiam dare sacerdoti, sic etiam ipsi ea revelare sine ulla Sacramenti irreverentia possunt; cum ex eorum, sicut licentia confessione,

essione, sic revelatione Pœnitentiæ Sacramentum aliis difficilius ac exofum non reddatur, *cit. Suarez f. 4. n. 1. & Laiman cap. 14. n. 20.* qui tamen vi secreti naturalis eum obligant ad occultanda ea, quæ non satis doctè & prudenter à d. d. Ave sunt à sacerdote; ut, si ipforum manifestatione istius existimatio notabiliter lædatur, graviter peccent: nisi lex Charitatis, vel præceptum Juris, Sacerdotis aliquid delictum, commissum in excipiendis confessionibus, *vg. sollicitationem ad venera ad S. Inquisitionis tribunal vel alium judicem jubeat deferri.*

100. Dubium secundò de sacerdote est, an Sacramentali sigillò obligetur casu, quò ipsi peccata sua ab aliquo sub specie confessionis aperiuntur, animò ipsum decipiendi vel seducendi: cujus brevem & veram resolutionem dat *cit. Suarez f. 2. n. 6.* in dubio de tali contentis intentione sacerdotem sigillò teneri, asserens favore Sacramenti Pœnitentiæ: cui irreverentiam aliquam inferendi periculum, ut procul removeatur, pœnitens, cujus fictio moraliter certa non est, ad sacrum tribunal bonò animò accedere, semper est præsumendus. Casu autem, quò deludendi aut seducendi intentio ita certa est, sacerdotem sigillò illò teneri, cum Navarro *cit. cap. 18. n. 55.* & aliis meritò negat; quia sigillum hoc non oritur, nisi ex confessione Sacramentali, sive ea, quæ sit animò se accusandi & peccata sua Ecclesiæ clavibus subjiciendi, qualis non est, quæ sacerdotis decipiendi vel seducendi animò instituitur. Unde laudatus Doctor, hoc animò peccata sua exponentem monendum ait, ex sacrilega ejus peccatorum revelatione obligationem sigilli non oriri.

101. Dubium tertio est, an sigillum violetur de peccatis, in confessione exceptis, loquendò ipsi pœnitenti. Ratio dubi-

tandi oritur ex paritate sigilli cum secreto Naturali: quod ejusmodi locutione non violatur. Sed paritas non est; cum aliquid sub secreti naturalis fide committens ab eo, cui id commisit, ut à peccato, à contractu matrimoniali, à sumptione Eucharistiæ &c. desistat, occultè admoneri possit: quod confessario extra confessionem non licet. Unde generaliter, non solum pœnitentè de peccatis in confessione auditis non infamare, eumve reddere suspectum; sed de iis quoque ipsi invito, etiam de errore in confessione interveniente, extra eam loqui licitum, meritò negant Sanchez *Lib. 3. de Matr. disp. 16. n. 3. & 15.* Fagundez *cit. Lib. 6. cap. 4. n. 33.* Diana *p. 1. tract. 4. resol. 87. & p. 5. tract. 11. resol. 18.* & Palao *cit. p. 19. §. 3. n. 14.* Ratio est; quia id cederet in quandam confusionem & pudorem pœnitentis, & per se valde arduum pœnitentiæ Sacramentum fidelibus magis onerosum redderet & exofum. Accedit, quòd ipsò pœnitentis à sacro tribunali post absolutionem bene vel malè indul- tam recessu judicium Sacramentale finitur; ut nec physicè nec moraliter amplius duret, ferè, sicut post sententiam bene vel malè factam in foro externo judicis & colligantium recessu à loco judicii hoc finitur; ac proinde, sicut istò in causa, provocationem ad superiorem judicem non admittente in externo, *l. Judex 55. ff. de Rejudicata,* sic post ejusmodi recessum in interno foro officium judicis cesset.

Dixi, *Extra confessionem;* quis ante ejus Sacramentale judicium plenè finitum, etiam statim post absolutionem datam, cum pœnitente de peccatis Clavibus subjectis loqui, restitutionis modum præscribere, aliquid interrogare, errorem corrigere sine sigilli violatione Sacerdos potest; quòd judicium Sacramentale non-

tale nondum omnino, saltem integraliter, sit finitum, *citt. de Lugo n. 70. & Stoz n. 194.*

103. Dubium est quartò, an notitiã peccati ex confessione acceptã uti liceat in gubernatione, aliisque actibus externis, concernentibus pœnitentem v.g. ei aliquid negandò. Affirmant id quidem magni nominis DD. non pauci; quòd talis usus in pœnitentis bonum cedat, quin ullò modò diffametur aut suspectus reddatur, eive peccatum exprobratur. Sed meliùs cum Sylvestro *V. Eucharistia 3. n. 7. Navarro Manual. cap. 21. n. 55. & aliis negant citt. de Lugo disp. 23. n. 126. Diana Trakt. 4. resol. 46. & Stoz n. 254. permoti decretò Clementis VIII. editò 26. Maji 1693. quòd seridò cavetur; ne superiores Regularium & confessarii ad istorum gubernationem promoti notitiã acceptã ex confessione ad externam gubernationem ullo modo utantur: ante quem summum Ecclesiã Antistitem Claudius Aquaviva Præpositus Generalis S. J. *Instruct. 5. & Ordinat. com. cap. 21.* severè prohibuit introductionem & praxin doctrinã, notitiã ex confessione acceptã usum permittentis. Rationem reddunt; quòd ejusmodi gubernatione & actibus aliis pœnitenti in memoriam reducuntur peccata & animã status tacitè exprobratur: & propterea fideles, si ex notitiã peccati in confessione detecti aliquid sibi negari aut fieri circa se ullò modò posse scirent, à Pœnitentiã Sacramenti usu facilè possent absterri. Unde*

104. Infertur, sacrum sigillum violari ab Episcopo, officium vel administrationem etiam à suo nutu pendentem alicui auferente; à collatore, beneficium non conferente: à patrono vel electore, ad id non præsentante vel ad Prælaturam non eligente eum; cujus administrationem Ecclesiã vel Monasterio damnosam

aut animabus periculosam fore conjicit ex qualitate peccatorum, in sacro tribunali expositorum: à superiore, ad impediendam continuationem peccati alicujus sibi subditi Regularis seris muniente fores, obstruente fenestram, diligentius visitante locum, per quem illum furtivè è Monasterio egredi solitum, novit ex sola ejus confessione: à Parocho SS. Eucharistiam vel assistentiam aut benedictionem nuptialem etiam privatim negante ei, quem ad Sacramentum illud suscipiendum indispositum, vel propter obstans impedimentum Canonicum ad matrimonium validè contrahendum inhabilem esse, ex eadem intellexit: à sacerdote, furacem famulum dimittente, peccandi occasionem vel materiam ei subtrahente, vel etiam ad timorem Dei, vitiorum fugam, virtutis studium solitò ferventiùs exhortante eum, quem flagitiis deditum, habet ex notitiã, sigillò sacrò affectã &c. Sanchez *Lib. 3. de Matrim. disp. 16. n. 3. & 4. citt. Laiman. cap. 14. n. 22. Bonacina Disp. 5. q. 6. s. 5. p. 4. à n. 14. Palao cit. p. 19. s. 3. & Stoz à n. 250.* Ratio est; quia, licet hæc omnia eòd modò fiant, ut pœnitenti notam vel detrimentum etiam minimum non afferant, ei tamen in memoriam reducunt & tacitè exprobrant peccata in confessione exposita; ut, si licitè, fieri intelligerentur, à Sacramenti usu fideles magis abhorrerent.

Sed, licet hæc ita se habeant, notitiã tamen peccati, Ecclesiã clavibus subiecti, non omnis usus illicitus est; cum eã confessarius moveri possit ad fundendas preces & pia opera peragenda pro conversione & salute animã pœnitentis, ad investiganda media & modos eum juvandi, ad legendos libros & viros doctos consulendos, seque in scientia perficiendum, ad vitandas occasiones & pericula peccandi,

peccandi, ad suum rigorem corrigendum sequè pœnitentis genio magis conformandum, ad complicem melius examinandum, ita tamen cautè; ut ipsius examinandi ansam ex alterius confessione sumi, nullatenus advertere possit, *cit.* Sanchez *n. 4.* Palao *n. 18.* Lugo *Disp. 23. n. 101.* & Stoz *n. 248.* Ratio est; quia hujusmodi confessarii actionibus nullum incommodum, molestia, aut pudor affertur pœnitenti; ut ex earum licito usu Sacramentum Pœnitentiæ difficiliter aut exoritur reddatur.

**106.** Dubium quintò est de peccati in confessione intellecti revelatione, quæ sit, peccatore non nominato, ejusque manifestandi periculò omni absente. Quæ etiam Sacramentale sigillum violari, idque violentum pœnis locum esse, ait Panormit. *in c. Omnis 12. n. 7.* ductus *c. cit.* verbis, *Qui peccatum in pœnitentiæ iudicio sibi detectum presumpserit revelare, à sacerdotali officio deponendum decernimus.* Verùm; quia verba hæc de revelatione peccati, factâ cum manifestatione ipsius peccatoris, exaudienda, satis liquet ex præcedentibus, quibus prohibita proditiõni seu revelationi peccatoris pœnæ decernuntur, ex ipsis solis peccati revelationem semper sacrilegam, & sigilli violationem esse, legitimè non inferitur. Imò eâ sigillum non semper violari, liquet ex ipso *c. cit.* textu, super peccato in confessione detecto consilium requiri, permittente: dummodo id fiat absque personæ expressione, sicut à legato Apostoli c o factum refertur *c. Offic. ii.* Unde, peccatoris ullâ ratione manifestandi periculò omni absente, peccati solius revelatione sigillum frangi, cum S. Thoma *cit. dist. 21. q. 3. art. 1. q. 1.* Sylvestro *V. Confessio 3. n. 2.* Navarro *in can. Sacerdos cit. n. 78.* T. T. & Canonistæ apud Eagnanum *in c. Officii cit. n. 26.* meritò

negant. Salubriter tamen *cit.* DD. moment, cautè admodum & rarissimè viris etiam gravibus eâ utendum, cum; quòd eius cum debita cautela usus, Jure approbatus & permissus reperitur unicò casu necessitatis, prudentioris consilium requirendi: tum verò; quia, cum summa cautela adhibita, & pœnitentis manifestandi omne periculum abesse videtur, aliquando tamen ex revelatione peccati persona peccatoris innotescere, aut saltem suspecta reddi potest; ac proinde, ut sacerdos ab ullius irreverentiæ Sacramento inferendæ & scandali periculo quam remotissimus sit, consilii necessitate non exigente, ipsum etiam à solius peccati revelatione expedit abstinere.

Dubium sexto est, cui Virtuti Sacramentalis sigilli violatio adverteretur. **108.** Et, eam quidem à versari Religioni, exploratum est; cum injuriosa sit ipsi Pœnitentiæ Sacramento, quod fidelibus, ad quorum in peccata relapsorum cum Deo reconciliationem & salutem divinitùs institutum, summèque necessarium est, onerosum reddit; nam homines, si scirent, peccata in Sacramentali confessione detecta revelari à sacerdote posse, absterrentur, quò minùs eam cum fiducia obirent, ut in suis *Tractat. de Pœnit.* observant Suarez *Disp. 33. f. 1. n. 7.* & Card. de Lugo *Disp. 23. n. 4.*

**107.** Eandem etiam Justitiæ adverteri, **109.** planum inde est; quòd ea injuriosa & damnosa sit pœnitenti, ad cujus famæ & existimationis læsionem tendit, & sacrilegè læsam reparandi obligationem Justitiæ inducit. An autem Justitiæ semper adverteretur, dubitandi ratio est; quòd dari valeat casus, quò, seclusâ ratione Sacramenti, ad secretum naturale pœnitenti servandum confessarius non teneretur, quando scilicet ejus peccatum in grave publicum, aut alicujus innocentis nocuum

mentum cederet. Quò casu, cum, secluso Sacramento, peccati manifestatio esset licita, revelatio Religionis duntaxat, non etiam Iustitiæ virtuti adversaretur. Sed, ut *cit.* Suarez n. 14. & Lugo n. 16. rectè advertunt, hòc etiam casu revelatio Iustitiæ adversatur; quia confessio implicite involvit pactum inter pœnitentem ac sacerdotem de secreto servando omni casu, quò id servandum est ex Divina Sacramenti institutione: quod pactum tali etiam casu violatur eò ipsò; quòd peccati in confessione detecti manifestatio injuriosa Sacramento & contraria sit Divinæ institutioni.

**110.** Dubium septimò est de gravitate violationis sigilli. Quam, licet ex genere suo lethalis sit, venialem tamen esse, imò omni culpa vacare posse ob imperfectionem actûs sive defectum deliberationis & advertentiæ rationis, omnes concedunt.

**111.** An venialis esse queat ob solam materiæ parvitatem, dubitandi ratio est; quòd id contingere videtur, quando veniale peccatum pœnitentis revelans nullò signò manifestat, ejus notitiam haberi ex confessione; cum tali casu pœnitenti illata injuria gravis non sit propter levitatem rei, notabilem existimationis diminutionem aliudve grave damnum illi non afferentis: neque etiam injuria fiat Sacramento; quòd ejus ulla mentio non fiat. Verum, esto, respectu pœnitentis injuria gravis tali casu non sit, gravis tamen est respectu Sacramenti; quia fractio sigilli etiam per revelationem alicujus levissimi peccati, in gravissimam ejus irreverentiam cedit; quòd pœnitentiæ Sacramentum odiosum reddat, homines ab ejus usu retrahendò. Quare, Sacramentalis sigilli fractionem ex materiæ levitate venialem esse posse, negant; ac proinde quamcunque etiam minimi pec-

cati revelationem, cum plena advertentiâ & deliberatione factam, graviter peccaminosam esse, cum Navarro *in can. Sacerdos cit. n. 39. cit.* Suarez s. 3. n. 1. & Coninck *Disp. 9. de Pœnit. n. 24.* & aliis meritò defendunt Laiman. *Lib. 5. tract. 6. cap. 14. n. 1.* Bonacina *Disp. 5. de Pœnit. q. 6. s. 5. p. 1. n. 4.* Lugo *cit. Disp. 23. n. 7.* Palao *Tract. 23. disp. unic. p. 19. s. 1. n. 12.* & Gobat *Experient. Tract. 7. n. 834.* quòd, licet in aliquò casu particulari ullum inconveniens defecto non sequatur: ex ipsa tamen possibilitate, sive ex eo, quòd sigillum aliquo casu sine gravi peccato violari posse existimetur, gravissimum inconveniens & Sacramenti præjudicium sequatur.

Quantumvis autem Sacramentalis secreti violatio, advertenter ac deliberatè facta, mortalis semper sit, quatenus est sacrilegium, & saluberrimum maximeque necessarium Sacramentum onerosum & exosum reddit: malitia tamen injustitiæ, ut insinuatum, non necessario, neque semper est gravis; quòd, juxta dicta, pœnitenti non semper grave asserat nocumentum, ut *cit.* Stoz q. 4. n. 186. rectè advertit cum *cit.* de Lugo à n. 17. salubriter monente, in confessione peccati fractionis sigilli exponendum, an cum pœnitentis gravi damno fuerit conjuncta; cum enim dari queat ejus sigilli fractio cum Injustitiæ gravi & levi tantù peccato conjuncta, & ex sola sacrilegæ revelationis confessione sacerdos non intelligat gravitatem injuriæ & nocumenti illati pœnitenti, ut hæc quoque cognoscatur, necessario injuriæ & nocumenti illi illati gravitas aut levitas erit exponenda.

Dubium octavò est, an ad peccati **112.** in confessione detecti revelationem casu aliquò valeat dispensari. Ullò casu & pro quocunque bono totaque Republica, ab in-

ab ingenti malo temporali vel spirituali liberanda, dispensari ab ipso etiam summo Pontifice non posse, contra Altifiodorem Lib. 4. Summe Tract. 6. cap. 3. 9. 7. unanimes sententia est omnium alicujus nominis ac notæ Theologorum, id defumentium ex communi sensu Ecclesiæ perpetuæque ejus traditione. Ratio fundamentalis est; quòd, si ad peccati ex sola pœnitentis confessione cogniti revelationem dispensari posset, hòc ipsò homines multis casibus absterri possent à Sacramenti sibi maximè necessarii usu & integritate confessionis; cum timere possent, ne confessarius habeat vel impetraturus sit dispensationem ad sui alicujus & quò liberari maximòpere cuperent, peccati manifestationem.

## ARTICULUS VI.

## De Violationis Sigilli Pœnis &amp; Judicio.

## SUMMARIUM.

114. Pœna illorum sunt depositio & peregrinatio perpetua.  
 115. Huic in artium Monasterium detrusio à Jure,  
 116. Postea moribus alia pœna subrogata sunt.  
 117. Irregularitas in illos Jure lata non est.  
 118. Ceteras etiam pœnas soli sacerdotes,  
 119. Peccatum mortale aut veniale in Confessione sibi detectum,  
 120. Personis à pœnitente diversis,  
 121. Et præsumptuosè revelantes incurrun.  
 122. De violati sigilli causa solus Ecclesiasticus,

123. Crimini rei Ordinarius judex cognoscit.  
 124. Cum hæresis admixta est, desertur ad Officium S. Inquisitionis.  
 125. In sigillisragum proceditur cum licentia pœnitentis.  
 126. Sine qua in eum processus locum esse, negantium,  
 127. Et affirmantium fundamenta.  
 128. Autoris ea de re sensus,  
 129. Jure & ratione firmatur.  
 130. In judicio peccati ex Confessione cogniti revelationem delator.  
 131. Reus peccati notitiam aliunde acceptam,  
 132. Et aliquando revelationem cum Pœnitentiæ licentia factam, probant.  
 133. In sigilli fractionis probatione testes etiam singulares admittuntur.

**P**ropter summam ullique dispensationi non subjectam Sacramentalis secreti obligationem & magnitudinem præjudicii, quòd sacrilega ejus violatio ad hominum salutem divinitus instituto summèque necessario Sacramento affert, meritò ab Ecclesia in Sacerdotem ejus violati reū, ad deterrendos alios, severissimæ animadversionis pœnæ constitutæ sunt.

Et veteri quidem rigore à Gregorio Papa II. ei, deposito & patriâ aliâque stabili mansione interdictâ, ignominiosa perpetuæ peregrinationis pœna imposita fuit, can. Sacerdos 2, dist. 6. de Pœnit.

Ea tamen per omnem vitam circumvagandi necessitas, quòd in Ecclesiastici Ordinis opprobrium cedere videretur, cum tempore sublata, eique pœnitentiæ perpetua, in arcto Monasterio peragenda, suffecta in Concilio Lateranensi fuit ab Innocentio III. c. Omnia utriusque 12. c. jus §. Ca-



ius §. *Caveat* decretum est; ut, *Qui peccatum in penitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum à sacerdotali officio deponatur, verum etiam ad agenda perpetuam penitentiam in arduum monasterium detrudatur.*

¶ 116. Postea tamen etiam detrusio hæc, quòd Monasteriis incommoda iustoque gravior esset, à curiarum Ecclesiasticarum usu recessit, etque penitentiae agenda alia ratio substituta fuit; & sicut nocentes alii, quibus eam sacri canones imposuerunt, sic & huiusmodi sacrilegii convicti ad perpetuum carcerem, triremes &c. condemnari consueverunt per sententiam, omnino necessariam, ut ipsa etiam à sacerdotali officio depositio, & Concilii Carthaginensis *can. 133.* prodita excommunicatio contrahatur; quòd ulla huiusmodi poena ab ipso Jure seu canone infligta non reperitur, Fagundez *Præcept. Eccles. 2. Lib. 6. cap. 7. n. 2.* & Lugo *de Penit. disp. 23 n. 147.*

¶ 117. Non desunt & à Suarez *Disp. 33. de Penit. s. 8. n. 2.* referuntur DD. qui, sacrilegà sigilli fractionem irregularitatem contrahi, asserant. Sed id perperam; quòd poena hæc in casibus duntaxat Jure expressis contrahatur, *c. Is qui 18. pr. de Sent. excom. in 6.* dictæ autem fractionis sacrilegiò eam contrahi, Jure expressù non fit, & cum Navarro *in can. Sacerdos cit.* meritò negetur à *citt.* Fagundez *n. 3.* Lugo *n. 146.* & probabilitate carere censeat Barbosa *in c. cit. n. 26.*

¶ 118. Porro, ut dictis sive ordinariis poenis locus sit, DD. exigunt Primò; ut sacri sigilli violator sit sacerdos; non alius clericus vel laicus; quantumvis enim talis Sacramentalem confessionem excipere præsumendò irregularitatem incurrat *c. 1. de Cleric. non ord. ministr.* atque insuper à foro Ecclesiæ abijci & seculari curiæ C prævia degradatione, si

clericus sit) tradi jubeatur à Clemente & Urbano utroque ejus nominis VIII. *Constitutionibus;* quæ incipiunt *Ersi aliàs* 1. Decemb. 1601. & *Apostolatus* 23. Martii 1628. publicatis, depositionis tamen ac detrusionis illius aut huic tribunalium usu subrogata alteri poena, *vi can. Sacerdos & c. Caveat* *citt.* obnoxii de Jure non sunt; cum his textibus soli sacri sigilli violationi à sacerdote attentata poena statuatur: non etiam aliis clericis, aut laicis manifestantibus peccatum, cujus notitiam immediatè aut mediatè ex confessione acceperunt. Atque idcirco tales non ordinariæ, sed arbitrariæ & secundùm excessus qualitatem exasperatae vel mitigatae punitioni obnoxii sunt, *citt.* Lugo *n. 147.* & *Stoz Tribunal. Penit. Lib. 2. q. 4. n. 277. ad finem.*

Secundò; ut revelet peccatum, *can. 119.* & §. *citt.* mortale v.g. luxuriæ, aut veniale v.g. mendacii jocosum: non alia, etiam quæ in Confessione detecta cadunt sub sigillum, v.g. defectum natalium, aut aliud quidpiam ignominiosum cognitum in illa, *citt.* Suarez *s. 8. & Diana p. 5. tract. 11. resol. 51.* Ubi aliis DD. *citt.* talem sigilli fractionem arbitrariè duntaxat, multò tamen graviori poenâ, quam violationem secreti naturalis plebendam, ait.

Tertiò; ut peccatum manifestetur alteri, non poenitenti ipsi objiciatur: sicut non ita pridem factum ab Ecclesiæ Regularis Custode, qui clerico Italo, præsumptuosam Missarum celebrationem, cum sacerdos non esset, diu continuatam sibi confesso, & post aliquot hebdomades contra promissionem, in sacro tribunali factam, sacrificandi copiam petenti alio prætextu negavit; & cum is omnibus modis instaret, sacerdotalis Ordinis defectum objecit: quò modò sigilli violationem extraordinariè duntaxat poenâ plebendam.

pleendum, existimat Granadus de Sacram. Controvers. & tract. 11. disp. 8. n. 3. quòd, licet talis objectio cedat in confusionem poenitentis: & si aliquando esset licita, saluberrimum Poenitentiae Sacramentum onerosum & exosum redderet, strictè dicta tamen peccati revelatio & sigilli fractio non fit; cùm revelare proprie & strictè dicatur is, qui secretum ab aliquo sibi commissum alteri manifestat.

121. Quartò; ut peccatum reveletur præsumptuosè, §. Caveat cit. ibi, Qui præsumpserit revelare, hoc est, qui dictò, scriptò, aliòve signò, animi conceptù exprimente, id facit scienter ac deliberatè: non ex ignorantia vel inadvertentia, ut ferè solent, qui animi secreta produunt in delirio, somno, vel ebrietate; cùm enim talium locutio actio humana plerumque non fit, ferèque culpà saltem gravi vacet, ulli, aut saltem ordinariæ fracti sigilli poenae obnoxii non erunt etiam, cùm id fecerunt in ebrietate, Stoz l. cit.

122. Dubium nunc est primò de causæ fractionis sigilli iudice: cui ansam præbent exempla Jacobi Arragonum Regis primi & Senatùs Tholosani, quorum illius iussu sacrilegè linguato Episcopo Gerundensì linguam à tergo extractam, Aldrete Lib. 2. Eccles. discipl. cap. 19. n. 2. & istò iudicante, in furcam acti ejusdem criminis rei Sacerdotis cadaver igni crematum, Raynaud. Prati Spirit. bistor. 13. perhibent. Sed, delegatione Apostolica & sacerdotis degradati traditione seclusis, uterq; processit cum Libertatis Ecclesiasticæ pariter sacrilega violatione, cùm; quòd, seclusis illis, cuicunque etiam Regiæ & Imperiali curiæ personas Ecclesiasticas iudicandi & condemnandi nulla competat potestas, can. Nullus 2. can. Clericum 3. §. 11. q. 1. c. At, si clericus 4. c. Cùm non ab homine 10. de Judiciis c. Nullus 2. c. Si diligenti 12. de Foro

compet. Aub. Sed bodie, Aub. Statuimus C. de Episc. & cleric. §. tum verò quòd ipsa fracti sigilli causa Poenitentiae Sacramento annexa, naturæque suæ Spirituales & Ecclesiasticae sit; atque idcirco quoad ejus criminis reos etiam laicos jurisdictionem curia Ecclesiastica in ipsa causæ qualitate habeat fundatam, c. Determinimus 2. c. Quanto 3. de Judiciis, c. Ut inquisitionis 18. §. Prohibemus, de Hæret. c. Si iudex 12. de Sent. excom. utrobique in 6. §. per tradita Lib. 2. tit. 2. art. 5. Quare, communi Jure spectatò, fracti sigilli causæ competentem solum Ecclesiasticum iudicem esse, meritò docent cit. Fagundez n. 1. Lugo n. 148. & Gobat Quinarvii Tract. 5. n. 200.

Quantumvis autem propositi sacri- 123. legii causam ad Inquisitores deferendam aliqui velint; quòd irreverentiæ Sacramento illatæ enormitas delinquentem de Fide reddat suspectum. Melius tamen & communiùs alii discussionem ejus iudicalem adstruunt iudici Ecclesiastico, cui reus tanquam Ordinario suo est subiectus: nisi revelatio qualificata ejusque præsumptioni hæresis admixta sit, extra hunc enim casum S. Inquisitionis officium in fracti sigilli causis se intromittere non consuevit, testes sunt in sacro ejus tribunali diu versatus Diana p. 4. tract. 8. res. sol. 93. Lugo cit. n. 148. & Pignatell. Tom. 7. consult. 54. n. 6.

124. Qualificata autem ad hunc effectum ea fractio censetur, quando peccati revelatio non præcisè ex malitioso affectu sacerdotis, sed ex pravo ejus sensu de rebus Fidei provenit: ut, si is, Poenitentia esse Sacramentum, vel huic silentii obligationem annexam, negaret, aut parvipendendam verbò aut factò ostenderet; uti & si crimè admisisset sæpius, aut aliàs esset improba & de hæresi suspecta conversationis, Diana, Lugo l. cit. & Pignat. n. 10.

Dubium secundò & gravissimè con- 125. troverfia

Kkk

troverfia

troverſa eſt, an iudex Ordinarius adverſus Sacerdotem ſigillifragum judicialiter procedere valeat ſine licentia pœnitentis, cujus peccatum, in ſacro tribunali cognitum, ſacrilegè proditum eſt; iſtò enim licentiam concedente, procedi ab illo poſſe, D. Thomæ in 4. diſt. 21. q. 3. art. 2. Sylveſtri V. Confefſor 3. q. 3. Navarri in can. Sacerdos cit. n. 127. & Manual, cap. 18. n. 12. Suarez de Pœnit. diſp. 33. ſ. 5. n. 6. & aliorum certa ſententia & ratio perſpicua eſt; quia ſacri ſigilli obligatio introducta eſt favore pœnitentis: & favor publicus, quem ea etiam ſpectat, ſolum exigit, ne peccati manifeſtatio fiat pœnitente inſcio & invito, atque idcirco iſte in revelationem conſentire ſuòque favori renuntiare poſteſt, per Reg. Quod ob gratiam 61. in 6. c. c. Si de terra 6. de Privileg. & contra confeſſarium ſuum judicialiter procedendi licentiam dare; cum, eò hanc concedente, ceſſet injuria i- pſius & Sacramenti; quòd, notitiæ Sacramentalis uti cum pœnitentis licentia permittit, Sacramentum oneroſum aut exoſum nemini reddatur. Accedit; quòd, ſi ne cum pœnitentis quidem licentia adverſus ſacri ſigilli violatorem procedere iudex poſſet, depositionis aliæque pœnæ in eam fruſtra eſſent conſtitutæ; cum hæc inſiſtæ non ſint ab ipſo Jure, & ſublato adverſus eum proceſſu judiciali, non niſi crimen ultro confeſſo inſigi per ſententiam poſſent.

126. An autem ſine pœnitentis licentia judiciali adverſus ejuſmodi ſacrilegii reum proceſſui locus ſit, in praxi utilis difficilisque reſolutionis controverſa eſt, & rationum in utramque partem militantium non levia momenta ſunt.

Et, licentiã quidem à pœnitente non petita, vel etiam irrationabiliter denegata, adverſus illum proceſſui locum non eſſe, argumentò, primò intuitu pal-

mari, evinci videtur; quòd omnes, ad quos v.g. homicidii à Caio in ſacro tribunali expoſiti, & à ſacerdote alteri præſumptuoſè revelati notitia quomodocunque pervenit, ſigilli obligatione etiam ipſi teneantur; ut de homicidio illo nec inter ſe, nec cum aliis ſine Caij licentia loqui, aut facere valeant aliquid, ex quo illud à Caio perpetratū, alii cognoscant, aut rationabiliter ſuſpiciantur: quod cum citr. D. Thoma q. 3. art. 1. quaſtiunc. 3. Navarro in can. cit. n. 42. Suarez ſ. 4. n. 5. Lugo n. 106. & aliis pro certiffima Regula tradit Palao Traſt. 23. diſp. unic. p. 19. ſ. 4. n. 1. atque idcirco ejus homicidii ſacrilegam revelationem à ſacerdote factam ſine expreſſa Caij licentia nemo deſerre ad iudicem, vel teſtimonium de illa in iudicio perhibere, neque iudex deſerentem examinare, aliumve interrogare, neque ſacerdos ipſe eam à ſe temere factam ſpontè vel interrogatus confiteri valeant, quin ſacri ſigilli violati rei evadant.

Confirmatur hæc ratio unanimi ſententiã DD. ſacri ſigilli comprehenſa, eò duntaxat, nullòque alio excogitabili, caſu revelationi eſſe obnoxia, dicentium, quò in hanc pœnitens voluntariè & libere conſentit; quòd, ne extra hunc caſum, etiam quando delictum v.g. Caij homicidium à Confeſſario temerè revelatum eſſe, pluribus notum famaque publicè vulgatum eſt, niſi contra reum abſque Caij licentia expreſſa denuntiandò, teſtificandò, inquirendò &c. moveri à quoquam poſſit, ad Sacramenti reverentiam & Chriſtiane Reipublicæ bonum expedire videatur; ne Sacramentum, ad promovendum ſpirituale animarum bonum divinitus inſtitutum maximèque neceſſarium, minori fiducia à fidelibus frequentetur: à Chriſto Domino autem Pœnitentiæ anexa ſigilli obligatio eò, quò publicè expediebat, modò fuerit introducta.

Non mi-

227. Non minus, quàm hæc, speciosa & ponderosa est ratio tergemina, militans pro honestate & necessitate Processus judicialis, qui adversus sigillifragum sacerdotem formatur sine licentia pœnitentis, cujus peccatum sacrilegè proditum est.

Prima fundatur in illa Servatoris nostri promissione, *Tibi dabo claves Regni caelorum & Quodcumque ligaveris, Quodcumque solveris super terram &c.* Matth. cap. 16. v. 19. & in actuali claviu illarum traditione, factâ verbis, *Pasce oves meas*, Joan. cap. 21. v. 17. quâ B. Petro ejusque Successoribus collata est omnis potestas necessaria & valde conducens ad rectam fidelium in utroque foro gubernationem; ac proinde vel maximè potestas adversus criminosos, delictorum publicè scandalosorum, spirituali animarum bono & Sacramentorum reverentiæ adversantium reos, judicialiter & independentè à privati cujuscunque, præsertim irrationabiliter invitè, licentia procedendi; cum, hujusmodi potestate munitū esse, necesse sit quemlibet supremum saltem cujusvis bene ordinatæ Reipublicæ magistratum; quod aliàs de mediis, ad pacem & felicitatem publicam stabiliendam promovendamque sufficientibus, ei prospectum non esset. Cùm ergo Sacramentalis sigilli violatio ejusmodi scandalosum, spirituali animarum bono noxium & Pœnitentiæ Sacramento injuriosum delictum sit, adversus ejus temerè præsumptæ reos judicialiter & independentè à privati pœnitentis, præsertim irrationabiliter invitè, licentia procedendi potestas Divinò Jure competet B. Petri Successoribus, & ab his cæteris Ecclesiarum Prælati poterit communicari: ut in hanc rem allegari meritò valeat illud Innocentii III, ad Franciæ Prælatos scribentis, *Nullus, qui sana mentis est, igne-*

*rat, quin ad officium nostrum spectet, de quocunque mortali peccato, ut fractio sigilli est, corrigere quemlibet Christianum, & si correctionem contempserit, per districtiorem Ecclesiasticam coercere, &c.* Novit. 13. §. Cùm enim, de Judiciis; ut, sicut nullum peccatum est, cujus reum in foro Pœnitentiali non valeat absolvere & ligare, sic nullum delictum sit, in cujus reum procedere non valeat in foro externo; ne in hoc ejus potestas minùs latè pateat, quam in seculari foro Principis terreni, cujuscunque quantumcunque gravis excessus reo commertam infligere poenam, aut veniam poscenti remittere valentis, juxta illud Imperatoris: *Nullum ita magnum est subjectorum nostrorum delictum, quod non nostra Clementia medeatur &c.* Novell. 129. pr.

Altera ratio est; quia judicialis contra sigillifragum Processus formatione Sacramentum Pœnitentiæ exosum non redditur fidelibus, eaque in sacrum sigillum non peccatur; quia illius delatio in judicium, judicis inquisitio, examen, depositio, receptioque testium, reique suum crimen confessi aut convicti condemnatio ex fine suo tendit ad promovendâ Sacramenti reverentiam & observantiam sigilli, istiusque sacrilegè aperti redintegrationem, justæ animadversionis severitate obtinendam: ut verisimile non sit, judicialis processus formationem, in scid, invitò, absente, vel mortuò pœnitente, inchoatam, reique confessi aut convicti condemnationem, punitionemque divino Juri adversari; cùm tam exorbitans lex & obligatio ullo Jure prodita non reperitur, quæ ad accuratiorem sui observantiam obtinendam necessaria, aut multum conducentia, ordinatâ saltem, media excludat: nullumque aliud externum & publicum delictum sit, quod delationem in judicium, judicis inquisitionem,

kkk

receptio.

receptionem probationum, rei que confessionem non admittat, etiam sine licentia privati, in quem id est commissum: quæ licentia etiam in sacri silentii fractione necessaria non est, cum; quod eò etiam casu, quò pœnitentis licentia propter ejus obitum, absentiam, vel contradictionem haberi nequit, processus judicialis via & medium necessarium sit, ad sacrilegium illud efficacitèr excludendum, ab eoque alios deterrendos: tum verò; quòd sigilli fractionis crimen non privato duntaxat, sed Sacramento quoque injuriosum, fidelibus & Christianæ Reipublicæ perniciosum sit: & ex processûs adversus ejus reum formatione pœnitenti in vita, honore, fortunis quidquam mali aut incommodi nequeat inferri; quòd sacrilegè detecti criminis notitia ulli adversus ipsum usui non sit. Confirmatur hæc, & ratio

Tertia est; quia sacri sigilli violatio est crimen publicum, ut *arg. §. Qui autem, post can. Si quis suadente, 17. q. 4. §. 1. ff. de Publ. judic.* probè advertit Gobat *cit. tract. 5. n. 225.* cum sit sacrilegium, quod criminibus publicis adnumeratur, *l. Si quis 10. C. de Episc. & clericis.* & ejus sigilli, sicut obligatio non privato duntaxat pœnitentis, sed publicò quoque ipsius Sacramenti & Ecclesiæ favore est introducta: sic violatione injuria non privata tantum, sed publica quoque Sacramento & Ecclesiæ infertur; ut adeò sigilli fractio ratione injuriæ à se illatæ obnoxius sit non solum privatæ actioni ipsius pœnitentis, sed iudicio quoque publico: quorum licet illam, adversus reum sibi competentem, pœnitens valeat remittere, impedire tamen nequit iudicium & punitionem publicam, ratione injuriæ Sacramenti & scandalii fidelium, Ecclesiæ competentem: sicut privatus, licet remittere & condo-

nare valeat injuriam adulteriò & furtò sibi illatam, eà tamen remissione & condonatione impedire nequit, quò minus legitimus magistratus in adulteri aut furti reum processum formet judicialem, & ejusmodi crimen confessum de eòve legitime convictum, ad exhibendam satisfactionem Reipublicæ, gladij aut laquei capitalem sententiam ferat.

Huic rationi non parùm roboris addit Primò; quòd processus in sigillifragum sacerdotem non ad peccati Ecclesiæ clavibus subjecti, & ab illo præsumptuosè revelati, sed ad sacrilegæ duntaxat revelationis legitimam probationem erueendam tendat: & licet in eo peccati jam revelati interveniat notitia, ista tamen ullius effectus & ulús non sit adversus pœnitentem: atque insuper revelationis probatione punitioneque revelantis injuria ipsi illata vindicetur, unaque sacri sigilli augeatur Religio, & in Sacramentum, post Baptismum in peccatum relapsis maximè necessarium, affectio, liberaque ejus frequentatio fidelibus plurimum commendetur. Secundò; quòd, si absque pœnitentis licentia in sacri silentii violatores procedi non posset, Ecclesiarum Prælati adversus summam irreverentiam saluberrimum Ecclesiæ Sacramentum, & fidelium communitatem sibi subjectam adversus gravissimam injuriam, quàm sigilli fractione ipsa quoque patitur, *arg. l. Manicheos 4. §. 1. C. de Heret. & Manich.* defendere, nolente, absente, vel mortuò pœnitente, non valerent contra omnia Jura, cuilibet adversus vim atque injuriam, quæ amicis aut subditis infertur, auxilium suum impertiri permittentia, *c. Olim 12. de Restit. Spo. liat. c. Dilecto 6. de Sent. excom. in 6. l. Ut vim 3. ff. de I. & I. Sc.*

Ex duabus his de quæstione, ad ac- 128.  
curatum examen ante non vocata, sententii

centis priorem laudatus P. Gobat *cit. Traß. 5. & in Append. ad hunc. utrobique à n. 182.* Posteriorem P. Stoz *Tribunal. Panit. Lib. 2. q. 4. à n. 288.* cã, qua potuerunt argumentorum vi propugnant, & uterque tanquam proprium suum partum Moralis doctrinã, quã uterque plurimum valuit, mira eruditione exornant.

Mihi prior verisimilis, vera videtur posterior: quam validè quidem impetit, sed non convellit in contrarium deducta & in communi T. T. dogmate fundata ratio; quia dogmatis illius generalitas non comprehendit casum, quò ex Sacramentalis sigilli fractione profecta peccati notitia unicè adhibetur ad reverentiã illi debitã tuitionem, & necessariam atque ordinarium medium est ad illius conservationem ac redintegrationem obtinendam, & ad Ecclesiã potestatem in illius sacrilegè violati reum ad aliorum terrorem exercendam; cùm ad hunc præcisè finem illius notitiã usum independentè à pœnitentis voluntate Ecclesiã permissum: adductarum rationum ternariò planè evincatur, quod ulterius

229. Confirmatur primò; quia neque ex Divina institutione, neque ex Ecclesiã definitione vel traditione Patrum constat, sacrum secretum Pœnitentiã Sacramento ita annexum; ut ad publicã ac notoriã ejus violationis punitionem à sacrilega revelatione profecta notitiã sine consensu pœnitentis non liceat uti: quia sine hoc ex ea in sacrilegii reum liberè procedi posse, satis constat partim, quia; neque *can. Sacerdos cit.* Gregorius II, neque Innocentius III. *c. Omnia, §. Caveat cit. neque Concilii Carthaginensis PP. can 133. cit.* depositionis, perpetuã peregrinationis, vel detrusionis in arctum Monasterium, aut excommunicationis pœnas, sigillifrago sacerdoti per sententiam infligen-

das, decernendò, ullò verbò meminere, pœnitentium licentiam requirendam: & cùm hujusmodi pœnã actu infliguntur, Speculat. *ad Rubr. de Probat. n. 24.* solummodo exigit probationem, *Quod ipse hoc coram pluribus, quamvis extra iudicium; dixit:* partim verò; quia sigillum Sacramento eò modò annexum est, quò ad hujus securiorem & liberiorem frequentationem fideles excitarentur: qui finis faciliùs obtinetur, si in sigilli fractores liberè procedendi potestas adstruatur, quàm si pendeat è voluntate pœnitentis.

Confirmatur secundò; quòd, si ad hujus sacrilegii punitionem pœnitentis licentia necessaria esset, sequeretur, pœnitentis vitã functi peccata, quantumcunque enormia, in sacro tribunali aperta, coram pluribus & communitate tota impunè propalari; quòd Sacerdos hujusmodi sacrilegii reus à nemine accusari, judicari & puniri posset, propter defectum licentiã pœnitentis jam defuncti: quã sequelã & impunitate cùm publicè perniciosius exemplum & sacrilegiorum fomentum non sit, illam transmittenti sine injuria quis objiceret Justinianum illud, *Nimis indignum est: nimis item impium, flagitiis præsidia quærere, l. Legem 7. ad finem C. de Natural. liber.*

Dubium hinc tertio est, de hujus sacrilegii probatione; quod si Sacerdos in judicio confitetur, denunciator vel accusator relevatur onere probandi, *arg. l. Generaliter 13. C. de non numer. pec. ut dictum Lib. 2. tit. 18. n. 11.* Si sacerdos id negat, probatio incumbit accusanti vel denuntianti: à quo per testes, aut aliter de peccati in sacro tribunali sibi expositi revelatione convictus, si pro sui defensione nihil alleget, perinde ut confessus, Ordinariã depositionis & in arctum Monasterium detrusionis, vel alteri, huic

K k k 3

huic curiarum praxi suffectæ poenæ obnoxius erit.

131. Quodsi ad sui defensionem, peccatum, in confessione sibi non apertum, aliâ viâ innouisse alleget, hoc probare, & quâ viâ modòque id cognoverit, ostendere tenetur: & si in probatione defecerit, eum ob revelationis, quæ explorata est, temerè factæ præsumptione, contra ipsum militantem, poenâ, sed, quòd de sacrilegio convictus non sit, extraordinariâ plectendum, cum Panormit. in c. *Omnis cit. n. 26.* & Sylvestro *V. Confesso 3. n. 5.* docent Lugo *cit. n. 151.* & alius DD. *citt. Pignatell. cit. Consult. 54. n. 12.*

132. Simili modò, si, peccati quidem notitiam ex solius poenitentis Sacramentali sui accusatione acceptam, sed revelatorem cum poenitentis licentiâ factam, asserat, hoc probandi onus ipsi imponunt non pauci; quòd licentiâ sit quid facti, quod non præsumitur, sed probandum est ab allegante, per Reg. c. *Cum in jure 31. de Officio deleg. & l. in bello 12. §. 2. ff. de Capt. & possim.* Aliter sentit & hanc rem distinctione expedit Lugo *l. cit.* & si accusator non poenitens, sed tertius aliquis sit, probandi onus huic imponitur; quòd, cum talis licentiæ defectum ex solo auditu sciat, alias probationes debeat afferre, propter præsumptionem contra ipsum militantem pro Confessario, qui esse bonus & contra Sacramenti reverentiam non deliquisse præsumitur, donec contrarium probetur, c. *Unic. de Scrutinio, c. fin. de Presumpt. & l. Merito 51. ff. Pro Socio.* Si verò sit ipse poenitens, probandi onus in Confessarium transfert; quòd licentiæ datio, ut dictum, sit quid facti, ab allegante probandi adversus eum, qui id à se factum inficiatur, arg. c. *Cum in jure & §. 2. cit.* ut adeò hóc casu ad licentiæ sibi factæ probationem suæque purgationem confessario deserendum ju-

ramentum, & huic præfatio acquiescendum sit.

Non malè tamen Diana p. 5. *tract. 11. resol. 52.* & alii, Confessarium ad hujusmodi angustias non redigendum, aiunt: sed, si revelatio poenitenti ejusve complicitarum aut nihil damni afferat, & Confessarius vir prudens vitæque & famæ integræ sit, ejus assertionem simplicem rei inficiationi præponderare. Secus, præsertim si poenitens probatæ vitæ & laudatæ conversationis, eique vel tertio graviter damnosa revelatio sit, Confessarium ad poenam saltem extraordinariam trahendum. Cæteris autem paribus in dubio huic potius, quàm poenitenti credendum, cum Mascardo *de Probat. conclus. 951. n. 30.* & ab hoc relatis aliis, docet Pignatell. *l. cit. n. 10.* quòd, sicut in externo, *can. Hoc etiam, 2. q. 6. & can. Absit, 9. q. 2.* sic & in interno foro pro iudice in factis, quæ ad ejus officium spectant, & aliter sciri non possunt, præsumatur.

Illud etiam hóc locò DD. monent, 133. propter sacrilegii istius, naturâ suâ ferè secreti enormitatem ad ejus probationem testibus etiam singularibus fidem haberi; ut, si idem poenitentis peccatum unus hoc, alius aliò loco & tempore, vel unus hóc, alius aliud, & tertius etiam aliud peccatum à confessario revelatum, in iudicio deponant, ejus crimen ad poenam ordinariam infligendam sufficienter probatum, intelligatur, ut cum Tannero *Tom. 4. disp. 6. q. 9. n. 122.* & aliis observat *cit. Stoz num. 281.*

#### ARTICULUS VII. De Muliere Adultera, & Supponente alicenum partum.

SUM.

## SUMMARIUM.

134. *Hec crimen suum marito aperire non tenetur :*
135. *Si ex eo imminens damnum aliter valeat impedire.*
136. *Si hoc nequeat, eam ad criminis manifestationem obligantium,*
137. *Et negantium DD. verior Opinio,*
138. *Sive Jus sive Ratio spectetur :*
139. *Extra quatuor casus speciales.*
140. *Eadem crimen manifestare etiam non tenetur proli supposita.*
141. *Saltem, si legitima ex eo imminens damnum tollat,*
142. *Vel manifestationem huic non profuturam, aut sibi damnosam fore, adveniat.*
143. *Factum vidua crimen suum tribus filiis manifestanti :*
144. *Cujus consilium à DD. RR. merito improbat.*
145. *Ex adultera natam prolem alere adulter non tenetur :*
146. *Nisi, ejus se patrem esse, credat.*
134. **C**elebris admodum decisio est Innocentii III. c. Officij 9. Legato consulenti rescribentis, *Sicut mulieri, que, ignorante marito, ad alteram prolem suscepit, quamvis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda, ita nec illi debet denegari, que sibi partum supposuit alienum, timensque maritum non vult facinus illi detegere:* ex qua Apostolica resolutione Dubium & maximi momenti controversia oritur, an uxor alienæ prolis suppositionem, aut ex adulterio susceptionem viro manifestare teneatur; ne huic invito cum legitimarum prolium detrimento aliena proles in bonis succedat.
135. Non quidem, si uxor marito ejusque legitimis hæredibus ex supposititiâ vel spu-

riâ prolis successione imminens damnum de propriis bonis valeat compensare; hoc enim casu eam, sicut ad compensationem omnes, sic ad manifestationem criminis non facile aliquis obligabit, Molina *Tract. 3. de J. & J. disp. 102. n. 10.* & Gutierrez *Q. Q. Canon. Lib. 1. cap. 38. n. 28.* Sed, si illis imminens damnum compensare vel impedire aliter, quam suppositione, vel adulterio suo proditò, non possit; hoc enim casu ad criminis sui manifestationem ipsam obligant Adrianus *Restitut. q. 1. dub. 1.* Paludanus *in 4. dist. 27. q. 2. art. 1.* & Corduba *Question. Lib. 1. q. 13.* non levis momenti nixi ratione; quòd, licet uxor, si id manifestet, gravis infamiae aut etiam mortis periculum subeat, & grave scandalum nascatur, ad hoc tamen vitandum legitimis mariti hæredibus ejus bonorum pars nequeat auferri, ut in hac supposita aut adulterina proles succedat; cum enim ad hoc cavendum uxor non minus teneatur, quam malæ fidei possessor quicumque ad rei alienæ restitutionem, prodere tenebitur crimen, si à peccato velit liberari, *arg. Reg. Peccatum 4. in 6.* mariti scandalò & periculò suo non obstante; cum utilius sit permittere nati scandalum, quam relinquere veritatem, c. *Qui scandalizaverit 3. de R. J.* Confirmatur hæc ratio paritate Imprimis testis, falsum in judicio deponentis adversus innocentem: quem ad famam huic, si aliter nequeat, per retractationem sui testimonii restituendam obligari, communis est sententia T. T. licet hæc factâ ipsi gravissimæ infamiae & talionis periculum imminet. Deinde, damnum passum in rebus ex maleficio alieno: qui super istius reparatione malefactorem civiliter convenire in judicio potest, quantumvis ei ex conventionem sua famæ & ipsius vitæ grave periculum imminere sciat a deo; ut, si solam damni resarcitionem, non sanguinis

136.



guinis vindictam à se peti, expresse protellitur, ab irregularitate etiam immunis sit: quantumvis contra ipsius intentionem ac protestationem reo capitale supplicium inferatur, c. *Postulasti* 21. de *Homicidio*, & c. *Prolati* 2. *ibidem* in 6.

137. Sed verius, tali etiam casu uxorem ad criminis sui manifestationem cum vitæ, aut etiam infamæ periculo gravi regulariter non teneri, cum Panormit. in c. *Officij* cit. n. 5. defendunt Scotus in 4. *dist.* 15. q. 2. Sylvester *V. Adulterium*, n. 2. Navarrus *Manual. cap.* 17. *an.* 88. Covarruv. in *Reg. Peccatum* p. 1. *pr.* n. 3. & 6. cit. Guttierrez n. 9. Molina n. 9. & communis sententia RR. id defumentium ex c.

138. *Officij* cit. decisione, quâ laudatus Innocentius mulier, adulterinam vel supposititiam pro mariti prole alenti, pœnitentiam & absolutionem Sacramentalem non denegat ex eo; quòd crimen suum viro detegere recuset: licet, eò non detectò, marito in bonis aliena proles succedat; minimè dubiò argumentò, eam non obligari ad criminis sui revelationem cum vitæ famæve gravi periculo faciendam; eùm ei, qui facere renuit, ad quod in conscientia tenetur, tanquam non ritè disposito Sacramentalis absolutio non sit impertienda, *arg. Reg. Peccatum* cit. *Ubi* Dynus, Sylvester *V. Restitutio* 7. n. 2. Navarrus *cap.* 17. n. 11. Rationem geminam reddunt.

Prima est; quia in necessitate vitæ (eadem est ratio famæ; cum bonis ignominie metus major, quàm mortis, esse debeat, l. *Isti* 8. §. 2. ff. *Quod metus causa*) constitutus pro ejus conservatione res alienas retinere, imò accipere & absumere valet; quia talis necessitas omnia communia facit, *arg. l. Si laborante* 2. §. 2. in *fine* ff. *ad L. Rhod. de jactu & can. Sicut* & junctâ *Glossâ, V. Commune, dist.* 47. Ergo etiam mulier ad gravissimum vitæ famæ-

que periculum vitandum permittere poterit: neque sui criminis manifestatione impedire tenebitur supposititiæ vel spurie proles successione præfertim; cum ex manifestatione, præter vitæ famæque periculum, timendæ sint perpetuæ vexationes & exprobrationes, diffensiones ac rixæ domesticæ, propinquorum odia aliæque incommoda, quæ sæpe vitam reddunt ipsâ morte acerbiorè.

Alterâ; quia bona inferioris ordinis non debent restitui, aut aliena damna impediri cum gravi jactura bonorum ordinis superioris, ut ex communi TP. sensu Regulæ instar tradunt Navarrus *cit. cap.* 17. n. 87. Cajetanus 2. 2. q. 62. *art.* 6. & Guttierrez *cit. cap.* 38. n. 10. Cùm ergo non tantùm vitæ, sed etiam famæ bonum majus sit, quàm fortunæ, juxta illud, *Melius est bonum nomen, quàm divitiæ multa*, Proverb. *cap.* 22. v. 1. uxor non tenebitur refarcire aut impedire damna mariti in bonis fortunæ cum gravi periculo vitæ aut famæ; quia, cum ex duobus malis utrumque simul evitari non potest, ad majoris evitacionem electionem minoris suadet ratio Naturalis & textus *can. Duo mala*, 1. *dist.* 13.

Neque sui criminis manifestandi necessitatem uxori imponit in *Reg. 3. cit.* fundata ratio, cùm; quia Regula illa intelligenda est de scandalo merè passivo, hoc est, non dato: sed ex opere bono vel saltem mali speciem non habente accepto: tum verò; quia eadem non de omni, sed fere de ea tantùm veritate procedit, quæ necessaria est ad salutem: qualis respectu uxoris non est revelatio criminis occulti.

Neque magis urget confirmatio, fundata in paritate. Inprimis cum falso testes quia alia ratio est in proposito casu uxoris, quàm falsi testis; quia huic retractatio neque graviorem neque altioris ordinis bonorum jacturam affert, quàm falsa depo-

sa depositio innocenti. Deinde, cum agente pro damni reparatione; quia ex illius petitione malefactori non timetur mors inferenda iniuste, sicut ea ex mariti ira vel indignatione iniuste inferenda timetur uxori, *cit.* Guttierrez n. 24. & Molina n. 14. §. *Ad quartum.*

139. Dixi, *Regulariter*; quia non desunt casus, quibus uxor, mariti ejusque hæredum damnum impedire aliter non valens, crimen suum aperire tenetur. Primum quidem, si ipsa mala famæ & aliâs de adulterii vel suppositione graviter suspecta, criminisque manifestatio habitura fidem nullumque corporis periculum allatura crederetur, Innocent. *in c. Officij cit.* Guttierrez *cap. cit. n. 26.* & Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 10. n. 57.* Secundò, si maritus sit vir prudens ac probus, ut delicto venia ab eo facile impetranda prævideretur, per tradita à *cit.* Guttierrez n. 26. & Lessius n. 58. Tertio, si ageretur de successione in Regno vel Ducatu, cui spuria vel supposititia proles propter hæresin vel perditos mores grave damnum allatura merito timeretur; tali enim casu uxor crimen suum, si ejus fidem facere posset, manifestare teneretur etiam cum periculo vitæ & famæ; quia istorum, tanquam privatorum ipsius bonorum, jactura multò minus malum est, quàm damna Reipublicæ, ut locus sit *arg. can. 1. & can. Nervi 2. dist. 13.* Lessius *l. cit. n. 54.* Quarto, si damna, quæ ex adulterio vel partus suppositione mariti legitimus hæres accepturus est, prudentis arbitriò multò majora sint iis, quæ ex criminis detestatione uxorem manent v.g. si hæredi maximæ æstimationis patrimonium aut majoratus ex suppositione vel adulterio, ex istorum autem manifestatione uxori solius famæ, non etiam vitæ jactura timenda esset, istam ad criminis, cujus fidem legitimè potest facere, revelationem tene-

ri, cum Covarruvia *cit. n. 6. §. Sed si ad,* & Soto *Lib. 4. de Justitia q. 7. art. 2. estimat cit.* Molina n. 12. quòd, licet fama altioris ordinis bonum sit, quàm res fortunæ seu temporales, jactura tamen maximæ æstimationis bonorum temporaliùm in communi hominum æstimatione multò gravior & acerbior sit, quàm famæ, quæ ex adulterii manifestatione uxorem manet: sicut gravior est jactura maximæ quantitatis argenti, quàm exigua auri, etsi aurum secundùm se multò pretiosius sit argenti. Contrarium tamen hoc casu cum Navarro *cit. cap. 17. n. 89.* & aliis sustinet *cit.* Guttierrez n. 27. cùm propter *c. Officij cit.* indistinctè loquentis generalitatem: tum propter rationes allatas pro sententia communi.

Dubium secundò ex eadem Innocentii 140. decisionem oritur, an uxor crimen suum manifestare etiam non teneatur suppositæ aut adulterinæ proli. Ratio dubitandi minimè levis est; quia ex una, uxor damnum marito istiusque legitimis hæredibus ex suo facto imminens impedire aut compensare tenetur, si absque graviore aut majorum bonorum jactura possit, *arg. Reg. Peccatum cit.* ex altera verò parte, proli crimen suum secretò aperiendò eique suadendò, ut à putatitiæ patris hereditate abstineat, legitimorum istius hæredum damnum impediret sine periculo vitæ & famæ; cùm proles in suam infamiam redundans crimen maternum procul dubio celatura potius sit, quàm vulgatura. Istius rationis vi permoti DD. passim tres casus distinguunt.

Primus est, quò uxor habet bonâ 141. propria, quibus mariti ejusque hæredum damnum impedire vel compensare valet; hoc enim casu ex marito procreatis prolibus plus quàm suppositæ aut spurie relinquendò, vel quantum huic ex mariti bonis obvenit, istis aut aliis mariti hæredibus de-

L I I

bus de-

bus donandò, juxta *can. 1. in fine, 14. q. 6.* satisfaciatur suæ obligationi sine ulla criminis manifestatione, Fagnanus *in c. Officij cit. n. 4.*

Alter, quò bona ad damni compensationem sufficientia non habet: quò casu, si crimen suppositæ vel spurie proli probare, & ab ista; quòd Deum timeat & à peccato abhorreat, sibi habendam fidem & secretum servandum sperare possit, crimen ipsi tenebitur aperire & suadere, ut hæreditati renuntiet, vel Clericalem aut Religiosam præsertim Mendicantiû successionis incapaciam vitam amplectatur, Lessius *cit. cap. 10. n. 47.* Fagnanus *in c. Officij cit. n. 17.* & alii; hoc enim suadet ratio dubitandi; & teste Joan. Andr. *in c. Officij cit. n. 4.* aliquibus, & inter eos alicui persuasit, ut cederet: quem fatuitatis arguere ausos nonnullos istius seculi magis quàm Divinarum legum peritos, meritò redarguit Socinus *in c. cit. n. 9.* ubi probè notat, hoc ipsos asseruisse confidentes præsentem vitam non futuram & æternam; in hanc enim ab humo elatos mentis oculos si defixissent, ipsum summâ laude dignum pronuntiassent; quòd fide dignâ assertionem matris læsam haberit conscientiam, cujus dictamen Regula est honestatis.

142. Postremus, quò id probare, fidemque aut secretum à filio sperare non potest: quò casu rectius tacebit & dolebit de peccato cum proposito marito satisfaciendi, ejusque emolumenta, quibus potest, modis promovendi; quia tali casu frustra crimen revelaret; cum ei præsertim propriam turpitudinem alleganti filius credere & hæreditate abstinere non teneretur, utpote existens in possessione filiationis, *c. Per tuas 10. de Probat.* quò si de jure possit simplici aut etiam juratâ assertionem matris, periculum esset; ne istius in unam prolem amore aut in aliam

odiò aliquando proles legitimæ removerentur à successionem, ut *in c. Per tuas cit.* notant Panormit. *n. 9.* Felinus *n. 16.* & Gonzalez *n. 8.* Unde

143. Infertur, quid sentiendum de consilio viduæ Avenionensis, quæ in mortis articulo constituta ad se vocatis tribus filiis, quorum unum ex adulterio susceperat, aperuit, unum ex ipsis esse spurium, paternæque hæreditatis injustum possessorem: quem si prodi non nollent, singuli cederent jure ad eam bonorum paternorum partem, quam spurius possideret. Unde factum, ut materno consilio acquiescerent, metûque infamie & amissionis bonorum paternorum juri ad partem illam, si quæ sibi competeret; renuntiarent. Quod mulieris animæ suæ ita providentis consilium probat, & mutuum filiorum cessionem pro firma habet Alciatus *de Præsumpt. Reg. 3. præsumpt. 37. n. 6.* & *Pareg. Jur. cap. 12. n. 6.* Non etiam cæteri DD. quia ejus nulla necessitas, imò nec utilitas fuit. Necessitas; quia mulier crimen suum sine animæ periculo poterat filios celare. Utilitas, cum; quia ejus etiam animam agentis assertioni, qui spurius declararetur, credere non tenebatur, *c. Per tuas cit.* cum etiam morientis nuda: imò & jurata assertio in alterius præjudicium non attendatur, *arg. c. Licet 22. de Testibus:* tùm verò; quia mutua illa cessione extorta fuit gravi metu; ne, si jure suo non cederent, à legitimæ filiationis & bonorum paternorum justa possessione deicerentur, contra *Reg. In pari cit.* Ita cum Covarruvia *cit. n. 6. §. Nec mihi placet cit.* Menochius *cit. casu 89. à n. 29.* Gutierrez *n. 25.* Fagnanus *in c. Officij cit. n. 21.* & alii præsertim RR.

145. Dubium tertid est de obligatione adulteri. Quem, si dubium sit, an proles ex ipso vel marito suscepta sit, ad nihil teneri, *arg. can. Grave, 11. q. 3. tradunt cit.*

• sunt cit. Navarrus cap. 16. n. 49. & Gutierrez n. 36. quod prolem ex marito susceptam, præsumere possit, l. Miles 11. §. 9. ff. ad L. Jul. de Adult. ob favorem matrimonii & prolis: quæ ex possessione legitimitatis in dubio deici non debet, arg. Reg. In pari 65. in 6. præsertim cum, concurrentibus diversis feminibus, generationem ex maximè consueto fieri solere, Medici testentur.

146. Casu autem, quò prolem suam esse ex sufficientibus indiciis rationabiliter credit, eum ad restitutionem ex honestate duntaxat & quadam decencia obligari, existimat Sotus Lib. 4. de Justicia 9. 7. art. 2. At melius Sylvester V. Adulterium, n. 7. Navarrus cit. n. 49. Lessius cit. cap. 20. n. 42. & 45. Gutierrez n. 38. & alii hòc casu, sicut adulteram, si possit, sic & adulterum ex justitia obligant non solum ad refusionem expensarum, quas putatius pater ad alendam vel dotandam prolem non suam fecit: sed etiam ad compensationem omnium damnorum marito ejusque legitimis liberis aut hæredibus illatorum, si hanc facere sine gravi vitæ aut famæ periculo possit. Ratio est: quia adulter ejusmodi damnorum causa moralis existit, eò ipsò; quòd cum aliena uxore voluntariè exercuerit actum, ex quo suâ naturâ sequi solet generatio prolis, cum marito ejusque legitimorum liberorum & hæredum damno ut plurimum conjuncta, ut rectè observat Laiman Lib. 3. tract. 3. p. 3. cap. 14. n. 2.

### ARTICULUS VIII.

#### De Indulgentiis, SUMMARIUM.

147. Indulgentia definitio.  
148. Peccatò remissò, remanet pena temporalis.

149. Datur thesauri satisfactionum Christi & SS.  
150. Et dispensatur per Indulgentias:  
151. Quæ vel Totales, vel Parviales:  
152. Personales, Reales, vel Locales:  
153. Perpetua vel Temporales sunt:  
154. Et aliter vivis, aliter mortuis applicantur.  
155. Indulgentiarum usus per antiquum est.  
156. Totales pro defunctis solus Papa:  
157. Parviales pro vivis Episcopi,  
158. Archiepiscopi, Legati Papa & Cardinales:  
159. Non etiam parochi & prælati inferiores concedunt:  
160. Nisi ex privilegio vel consuetudine.  
161. Indulgentia dantur Fidelibus,  
162. Subjectis jurisdictioni concedentis:  
163. Qui à se concessas ipse quoque,  
164. Uti & Exempti lucrantur.  
165. Valida earum concessio justam,  
166. Et concessioni proportionatam causam exigit.  
167. Indulgentias lucrantur soli fideles non excommunicati,  
168. Existentes in statu Gratiæ Dei,  
169. Et injunctum opus peragentes,  
170. Cum intentione lucrandi non solum formali:  
171. Sed habituali quoque & interpretativa.  
172. Indulgentia ad certum tempus ipsius lapsu:  
173. Ad beneplacitum data, morte concedentis cessant:  
174. Simpliciter concessæ, perpetuò durant:  
175. Nisi pereat res,  
176. Vel destruatür locus, cui sunt annexæ.

147. **I**ndulgentiarum nomine ab Ecclesia PP. ac DD. & *presenti Rubrica* subiectis textibus non mollities educationis & gubernationis, sive permittendi connivendive nimia facilitas, ut apud Latinos à Quintilano *Lib. 1. cap. 3.* sed debiti liberalis iustaque remissio denotatur; Indulgentiæ enim, ut hoc loco & communi fidelium usu accipiuntur, aliud non sunt, quàm Pœnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debita relaxatio, seu solutio de Thesauro Ecclesiæ per applicationem satisfactionis Christi & Sanctorum. Pro cuius ex *Extravag. Unigenitus 2. inter communes* de promptæ, & quoad sensum ab omnibus receptæ definitionis pleno intellectu tria notanda sunt.

148. Primum est, peccatò quoad culpam per Sacramentum Pœnitentiæ in re aut voto susceptum, & per illum ipsum actum, per quem culpa remittitur, etiam quoad pœnam æternam, secundum Tridentinum *Sess. 5. cap. 14.* jam remissò plerumque remanere pœnam aliquam temporalem, in hac vita per orationem, jejuniùm, eleemosynam aliisque pia & satisfactoria opera solvendam; vel in altera seu Purgatorio luendam, secundum eisdem S. Synodi definitionem *Sess. 13. cap. 7. & 8.* Bellarmin. *Lib. 4. de Pœnit. à cap. 3.* Suarez *de Pœnit. disp. 37. s. 1.* & Laiman *Lib. 5. Theolog. tract. 6. cap. 15. n. 1.* Quam veritatem Catholicam DD. isti cum SS. PP. ostendunt ac declarant ex Divinæ scripturæ libris: sex quibus peccata, vetiti fructus comestione à protoparentibus in paradiso, *Genes. cap. 3. à v. 16.* diffidentia in Deum à Moyle & Aaron, *Deuteron. cap. 32. v. 5.* adulterio & populi numeratione à Davide, *Lib. 2. Reg. cap. 12. v. 14. & cap. 24. v. 13.* ab aliis aliter commissa & quoad culpam pœnamque æternam jam remissa, lacrimis

aliisque piis operib⁹ expiata constat & delectatâ residua pœnâ temporale, quam Deus ab iis expetebat, fere instar Principum terrenorum: qui violatæ vel contemptæ Majestatis suæ reis & humiliter pœnitentia pro venia supplicantibus injuriam quidem sibi illatam remittere, eosque recipere in gratiam: pecuniariam tamen aliamve pœnam temporalem ab iis exigere, itaque rigorem Justitiæ Clementiâ temperare solent.

Alterum, ab humani generis Redemptore Christo domino Ecclesiæ suæ relictum suorum meritorum & satisfactionum cumulum seu thesaurum infinitum: eidemque sanctissimæ ejus Matris Virginis, BB. Martyrum, aliorumque vitæ innocentia & operibus præstantium Sanctorum merita, & ipsi ad plenam reatum relaxationem non necessarias satisfactiones accessisse. Quas satisfactiones, ut homini profint, ei applicari necesse est, vel immediatè per ipsum Christum Dominum, ut latroni in Cruce, Mariæ Magdalene & quibusdam aliis, quibus ad reatum cujusvis plenam remissionem profecerunt: vel per usum Sacramentorum, præsertim Baptismi ac Pœnitentiæ, quibus quoad remissionem culpæ pœnæque æternæ, & alicujus saltem temporalis: vel extra Sacramentum per Christi in terris Vicarium concessione Indulgentiarum, quibus quoad pœnæ temporalis, post culpam jam remissas remanentis, plenam vel partialem remissionem nobis applicantur, Sylvester *V. Indulgentia, n. 4. cit.* Suarez *disp. 51. s. 1. n. 2.* & Laiman *n. 1.*

Tertium, satisfactionum illarum thesauri dispensationem, sive ejus applicationem ad remissionem sæpe remanentis pœnæ temporalis; ac proinde Indulgentias concedendi potestatem B. Petro cælestis Regni clavigero ejusque successoribus Christi Vicariis in terris commissa, ut

iam, ut *Extravag. cit. post pr.* advertit Clemens VI. facta autem ea commissio est verbis, *Pasce oves meas*, Joan. cap. 21. v. 18. quibus à Christo impleta est promissio eidem B. Petro facta, *Tibi dabo claves Regni caelorum: quodcumque solveris super terram, erit solutum & in caelis*, Matth. cap. 16. v. 19. Quæ promissio, cum generalis, nemini nociva & supreni Ecclesiæ capitis ac Principis gratia seu beneficium sit, sic exaudienda est, ut omne vinculum & Regni caelorum ingressus impedimentum: & sicut culpæ poenæque æternæ reatum, sic etiam hoc remissio sæpe remanentem temporalem poenam comprehendat, arg. c. *Cum dilecti* 6. de *Donat.* & c. *Olim* 16. de *V. S. cit.* Suarez n. 5. Laiman. n. 2. & Palao *Tracl.* 24. *disp. unic. p. 2. n. 6.* sic declarata

151. Indulgentiæ variæ sunt partitiones; Primò enim alia Totalis, alia Partialis dicitur *Extravag. cit. V. Quem quidem*: quarum illà ei, cui applicatur, tota poena, in hac vel altera vita in Purgatorio exsolvenda: istà ejus duntaxat pars: eaque vel determinata, vg. tertia aut quarta remittitur.

152. Secundò alia Personalis, alia Realis vel Localis est, prout per se & directè conceditur personæ, pium aliquod opus peragenti, quam sequitur juxta naturam privilegii personalis & *Regulam 7. in 6.* vel rei, vg. imagini, Rosario, numismati: vel loco, vg. Ecclesiæ, Sacello, Oratorio conceditur, & hominibus remiferentibus vel locum visitantibus, in eo orantibus, vel pium opus peragentibus prodest.

153. Tertiò alia Perpetua & alia Temporalis: quarum illa durat, donec revocetur, vel intereat res, aut sinè reedificationis spe destruaturs locus, cui directè est concessa: ista datur ad certum tem-

pus, eoque exactò finitur.

Quartò alia pro Vivis datur, & alia pro Defunctis: quæ inter se differunt in modo applicandi satisfactions Christi & Sanctorum; cum hæ vivis applicentur per modum absolutionis, sive à superiore tanquam giudice eum, cui datur, satisfactione ex Ecclesiæ thesauro sive Christi & Sanctorum satisfactionibus Deo oblatis, à poena temporali pro peccatis debita absolvente conceduntur: defunctis autem per modum suffragii duntaxat & solutionis, exhibendò Deo de eodem thesauro satisfactionem & quasi pretii solutionem, adjunctis precibus; ut eam in satisfactionem pro debito poenæ temporalis misericorditer acceptare, istamque illius intuitu remittere dignetur, ad animam ex Purgatorii flammis liberandam, *citt. Suarez Disp. 53. f. 2. n. 4. & f. 3. n. 15. Laiman. cap. 7. n. 3. & Palao p. 10. n. 2.* Ratio differentiæ est; quòd, cum v. 19. & 18. *citt.* Papa potestas data sit ligandi ea, quæ super terram: non, quæ sub terra sunt, ullam jurisdictionem exercere nequeat in animas defunctorum; ac proinde his thesaurum illum non per modum absolutionis, quæ jurisdictionis actus est: sed per modum suffragii duntaxat valeat applicare.

Porro Indulgentiarum usum in Ecclesia antiquissimum, *Extravag. 1. inter com.* Bonifacius VIII. & S. Synodus Tridentina *Sess. 25. in Decreto de Indulg.* declarat: & *citt. Bellarminus cap. 3. Suarez Disp. 49. f. 2.* & alii non solum ex Ecclesiæ traditione & continuo usu: sed priscorum etiam PP. & Conciliorum testimonio ostendunt: eumque ab ipsis Apostolis derivatum, verisimiliter desumunt ex 2. Corinth. cap. 2. v. 10. quò locò Apostolus incestuosum, quem corpore quidem absens, præsens autem spiritu excommunicatum poenis Ecclesiasticis sub-

cis subjecerat, 1. Corinth. cap. 5. v. 3. rogantibus Corinthiis spirituali clavium potestate absolvit, poenâ etiam temporali, quæ remanserat, remissâ.

156. De iuribus nunc primò est de personis, indulgentias largiendi obtinentibus potestatem. Et summo quidem Pontifici Christi in terris Vicario, sicut regendi Ecclesiam, sic istius thesaurum per indulgentiarum concessionem dispensandi, potestatem competere, jam est insinuatû. Totales etiam sive plenarias ac perpetuas indulgentias fidelibus concedi ab ipso solo posse, *Extravag. Unigenitus cit.*, expressum est. Eò autem inferioribus, & ipsis etiam Episcopalis Ordinis Prælati Partiales sive non plenarias & temporaneas duntaxat concedendi facultatem immediatè, non ex commissione Christi, sed sola delegatione Apostolica competere, non obscurè colligitur ex *Extravag. cit.* dum eâ Ecclesiæ thesaurum per satisfactionum Christi & Sanctorum applicationem dispensandi potestatem à Christo Domino B. Petro istiusque successoribus, suis in terris Vicariis commissam, asseritur. Ratio est; quia dispensatio thesauri Ecclesiæ per indulgentiarum concessionem non est actus Ordinis, sed Jurisdictionis: quàm inferioribus etiam Ordinis Episcopalis Prælati immediatè non ab ipso Christo: sed istius in terris Vicario Romano Pontifice concedi, *Lib. 1. tit. 31. à n. 78.* dictum est cum S. Thoma *in 4. dist. 20. q. 1. art. 4. cit.* Sylvestro *q. 5.* Suarez *f. 1. n. 13.* & Laiman. *cap. 4. n. 1.*

Ex Papæ etiam commissione Jure facta, ac proinde potestate ordinariâ & ratione dignitatis suæ competente, Episcopi nullas indulgentias pro defunctis concedunt; quòd eas concedendi potestatem exercere solummodo valeant respectu subditorum, *c. Cum ex eo 14.*

jundò *c. Quod autem 4. ubi Innocent. Navarrus de Indulg. notab. 23. n. 4. & cit. Suarez Disp. 55. f. 3. n. 9.* Pro vivis autem in Dedicacionibus Ecclesiarum unius anni eò die, & 40. dierum indulgentiam in Dedicacionum anniversariis obtinendam largiuntur, *c. Cum ex eo cit.* ut fidelibus eas lucrantibus tantùm poenæ temporalis remittatur, quantæ remissionem uno anno vel 40. diebus in hoc seculo poenitendò consequerentur, ut cum Epone de *Indulg. n. 121.* Barbosa de *Offic. Episc. alleg. 88. n. 14.* observat. Ejus autem potestatis limites si egrediantur, & ampliores indulgentias largiantur, concessio invalida est, *c. fin. in 6.* non tamen tota, sed solummodo quoad excessum; ne utile per inutile vitietur, contra *Reg. 37. in 6.* cui locus vel maximè est in gratis & liberalitatibus, *l. Sancimus 34. C. de Donat. &* cum utile ab inutili separari potest, *l. 1. §. 18. ff. de Aqua quotid. & aff. Glossa in c. fin. cit. V. Non obtineant. ubi Joan. Andr. cit. Suarez f. 3. n. 14. & Barbosa n. 22.*

Eandem, quam Episcopi, potestatem in propria sua diocesi obtinent Archiepiscopi: qui etiam quibusvis suffraganeorum suorum Ecclesiis, quas Episcopi, scilicet 40. dierum indulgentias, etiam extra actualis visitationis tempus largiri valent, *c. Nostro 15.* secundum statutum Concilii generalis *c. Cum ex eo cit.* ut illas visitantes duplicem quadragenam, sive 80. dierum indulgentias simul lucrentur, *cit. Suarez n. 7. & Palao p. 5. n. 8.*

Neque adversatur; quòd Archiepiscopus subditorum suorum suffraganeorum iudex ordinarius non sit, extra casus Jure expressos, *can. Nullus, can. seq. 9. q. 3. & c. Pastoralis 11. pr. de Offic. Ordin. &* jurisdictionem extra proprium territorium nequeat exercere, *c. fin. de Constitut.*

*Constitut. in 6.* quia posterius hoc verum duntaxat est de jurisdictione contentiosa & quæ cum iudiciali strepitu exercetur, *arg. c. fin. cit. pr.* Indulgentiarum autem concessio non contentiosa, sed voluntaria jurisdictionis est actus, qui extra proprium territorium non prohibetur in subditos, Panormit. *in c. Nostro cit. n. 3.* quales, quoad ejusmodi concessionis actum, respectu Archiepiscopi etiam sunt subditi ipsius suffraganeorum, Suarez & Palao *l. cit.*

Non minorem, imò majorem fere, quàm Archi. & Episcopi, indulgentias largiendi potestatem obtinent in provinciis suis sedis Apostolicæ Legati, Panormit. *in c. 1. de Offic. legati n. 2.* Quæ tamen, quòd communi Jure non expressa sit, quanta singulis jure competat, ex usu & commissione sive legationis literis est desumendum. Ipsi etiam S. R. E. Cardinalibus competentem centum dierum indulgentiam impertiendi potestatem non in Jure communi: sed speciali, scilicet in privilegio, Bolognetus *de Indulg. n. 21.* imò eam in non scripto & ex consuetudine orto jure consistere, Navarrus *Notab. 21.* ait apud Gobat *de In-*

<sup>159.</sup> *dulg. n. 55.* Parochos autem & Prælatos seculares Episcopò inferiores, sicut & sede vacante, Capitulum Cathedrale, istiusque & Episcopi Vicarium generalem, ullà ejusmodi potestate Jure communi non gaudere, res est omnino explorata. Eadem ratio est Prælatorum & aliorum superiorum Regularium: quorum tamen permultis respectu subditorum suorum aliqua competit ex privilegio: ex cujus tenore, quanta cujusque sit, est desumendum.

<sup>160.</sup> An eas concedendi facultas acquiri valeat consuetudine, dissensio est inter DD. id enim cum Turrecremata *in §. Item in Levitico post can. Qui aliquan-*

*do 87. dist. 1. de Poenit. negant Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 4. & cit. Suarez f. 4. n. 3. & contra cum Glossa fin. in c. Accedentibus 12. de Excess. prel. & Panormit. ibid. n. 2. affirmant cit. Laiman. cap. 4. n. 4. & Gobat n. 79.* Ratio illorum est; quòd indulgentias concedendi potestas communicetur voluntate Papæ: qui, si eam ab inferioribus exerceri sciat, & non contradicat, tacite eam communicare intelligitur; ut consuetudine nequaquam opus, imò huic locus amplius non sit. Si verò id ignoret, ejus consensus, ad consuetudinem introducendam ejusque vi acquirendam illam potestatem necessarius, desideretur; cum ignorantis nullus sit consensus. Verum, quia ad consuetudinem necessarius Papæ & alterius legislatoris consensus per ipsos canones & leges, consuetudinem approbantes, eisque non scripti Juris vim conferentes habetur, juxta dicta *Lib. 1. tit. 4. n. 26.* sicut vota & juramenta, sic etiam pro peccatis debitam pœnam temporalem indulgentiarum concessione relevandi potestatem vi consuetudinis saltem immemorialis acquiri posse, verissimilius est.

Neque in contrarium facit reprobatio consuetudinis, vi cujus sine proprii Episcopi licentia confessarii libera electio à subdito acquiratur, *c. Si Episcopus 2. in 6.* quia illatio à diversis legitima non est, præsertim quando, ut in proposito, ratio est diversa; cum sine Episcopi licentia confessarium eligendi facultate: non etiam potestate concedendi indulgentias disciplina Ecclesiastica frangatur aut relaxetur nervus, & obedientiæ subditus subtrahatur: & hæc solummodo inducens consuetudo ac præscriptio Jure sit reprobata, *c. Cum inter 5. de Consuet. & c. Cum non liceat 12. de Præscript. Glossa in c. Si Episcopus cit. V. Consuetudinis.*

Dubium



- 161.** Dubium secundò est de iis, quibus indulgentiæ profunt: cuius resolutio satis expedita est; cum enim earum concessio actus sit jurisdictionis: hæc autem ligandò & solvendò in non subditos non exerceatur, consequens, & c. *Quod autem cit.* ab Alexandro III. decisum est, eas solis subditis prodesse. Quare Indulgentiarum omnino incapaces sunt infideles; cum Ecclesiam non ingressi per Baptismum, & subiecti non sint spirituali & Ecclesiasticæ potestati, c. *Gaudemus 8. de Divor.* Ob eundem jurisdictionis defectum in Ecclesiarum Dedicacionibus &c. ab Episcopo concessas ejus tantum subditi dioecesani &, qui in ejus dioecesi per majorem aut notabilem anni partem commorandò quasi domicilium in ea fortiantur: extranei verò non lucrantur: nisi his proprii Episcopi specialiter consenserint, ut eas lucrari possint, Panormit. in c. cit. n. 7. peregrinis & pia loca visitare volentibus consulens, ut indulgentias in his à Pralato Papâ inferiore concessas lucrandi licentiam à proprio Episcopo petant, cit. Navarrus *Notab. 31. n. 12.* & Barbosa *Alleg. cit. n. 25.* Unde
- 162.** Ex eodem defectu jurisdictionis indulgentias ei, à quo concessæ sunt, ad temporalis pœnæ remissionem non proficere videri potest; quòd jurisdictionem in seipsum exercere nemo valeat. Hòc tamen non obstante, à Papa toti Ecclesiæ, & ab Episcopo dioecesanae communitati propositas etiam concedentibus prodesse, D. Thomæ in *Addit. ad 3. p. 9. 27. art. 4.* Suarez *Lib. 6. de LL. cap. 12. n. 8.* Laiman. *Lib. 1. tract. 4. cap. 27. n. 31.* Barbosa *cit. alleg. 88. n. 28.* & apud hunc aliorum communis sensus & solida ratio est; quòd conditionis non deterioris sint, nec esse debeant, quàm ipsi subditi fideles; ac proinde ex iusta

& rationabili causa concessarum participes esse etiam ipsi debeant ac possint; quia, sicut voti relaxatio, sic Ecclesiæ thesauri dispensatio per Indulgentias non est actus jurisdictionis contentiosæ & coactivæ sed voluntariæ; inter eos à quo, & in quem exerceatur, personarum distinctionem non exposcentis, per tradita *Lib. 3. tit. 7. n. 15.*

An Ecclesiæ vg. in ejus Dedicacione vel istius anniversario ab Episcopo concessæ exemptis profint, in dubium aliqui ex ea ratione vocant; quòd, cum ipsa exemptione immediatè subjiçiantur Apostolicæ, & Episcopali jurisdictioni subtrahantur, sicut exempta loca comparantur sito extra dioecsin, sic exemptæ personæ extranearum instar reputentur, *can. Luminofo, 18. q. 2. & c. 1. fin. de Statu Regul. in 6.* Hæc tamen ratione non obstante, illas exemptis quoque prodesse, cum Navarro *cit. n. 13.* tenent Bellarminus *l. cit. cap. 11. q. 3.* Cochier *de Jurisdic. Ordin. in Exempt. q. 58. n. 5.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 47.* ne exemptio, quæ inducta est ob favorem & utilitatem exemptorum, in eorum odium ac dispendium retorqueatur, contra *Reg. 61. in 6. & l. Quod favore 6. C. de LL.*

Dubium tertio est de causa concessionis indulgentiarum. Iustum esse oportere, perspicuè tradit Clemens VI. B. Petro & successoribus concessum Christi meritorum & satisfactionum thesaurum salubriter *Ex propriis & rationabilibus causis* dispensandum, asserens *Extravag. Unigenitus cit. V. Quem quidem.* Sed hoc, sicut de concessionis honestate exploratum, sic anceps videri potest de valore; quòd multa prohibeantur, quæ si facta fuerint, roboris obtinent firmitatem, c. *Ad Apostolicam 16. de Regular.* & in Jejunii aliæve simili lege dispensatio, absolutio ab excommunicatione & similia

similium pœnarum remissiones, cum, ul-  
lâ iustâ causâ non poscente vel suadente,  
obtinentur, specie quidem honestatis,  
non etiam valoris robore destituuntur.  
Cur non idem statuatur de simili indul-  
gentiâ concessione? Sed alia ratio istius  
est, quàm dictæ dispensationis ac remis-  
sionis; cum his à sua voluntate pendens  
obligatio vel pœna remittatur: Indul-  
gentiâ verò concessione expendatur Chri-  
sti satisfactionum thesaurus: cuius do-  
minus Christus, Papa autem solummodo  
dispensator est, *Extravag. & V. cit. da-  
tus*; ut eum secundum voluntatem Chri-  
sti committentis expendat in ædificatio-  
nem, non in destructionem, 2. Corinth.  
*cap. 10. v. 8.* Unde, cum contra domi-  
ni voluntatem facta rerum commissarum  
dispensatio non illicita solum, sed inva-  
lida quoque sit, honestate simul ac va-  
lore destituta erit etiam sine iustâ causâ  
facta concessio Indulgentiâ, & tanquam  
thesauri satisfactionum Christi dissipatio,  
non subsistet, secundum decisionem  
Innocentii III. *Indiscretas ac superfluas  
indulgentias reprobantis e. Cùm ex eo cit.*  
S. Thomas in *Supplement. q. 25. art. 1.*  
*cit. Navarrus notab. 15. n. 17. Sottus  
Disp. 21. q. 2. art. 2. & Suarez Disp. 54.  
f. 2. n. 3.*

166. Sicut autem sola liberatio ab obli-  
gatione præstandi, quod Deo est promif-  
sum & relaxandi votum: sic indulgentias  
quoque largiendi causa rationabilis ac suf-  
ficiens non est sola liberatio à pœna tem-  
porali; cum, si generalis huiusmodi cau-  
sa finalis sufficeret, quodvis votum re-  
laxandi; & quasvis indulgentias cuiusvis  
& quodvis momentò concedendi sufficiens  
& iustâ causa foret: quod communi fi-  
delium & Orthodoxorum DD. sensui ad-  
versatur. Esse ergo debet causa à gene-  
rali illa distincta: ut v.g. sunt exaltatio  
Ecclesiæ, conversio infidelium, hæresum

extirpatio & propagatio Fidei Christi-  
anæ, Concordia Principum Christiano-  
rum, Reformatio vitæ, morumque emen-  
datio, excitatio ad studium devotionis  
ac virtutis, Dei & Sanctorum cultus pro-  
motio, obsequiorum ac meritorum re-  
muneratio, spirituale solatium anima-  
rum & similes aliæ, non solum publi-  
cum, sed privatum etiam bonum spe-  
ctantes. Ex quibus etiam concedendæ  
Indulgentiæ, ut rationabiles sint, ipsæ  
esse debent proportionatæ; ut quantò  
causa rationabilior graviorque est, tan-  
tò major & liberalior indulgentia sit; ne-  
si causæ non proportionata & excessiva  
sit, contra generalis Concilii decretum  
*Indiscreta & superflua evadat, e. Cùm ex  
eo cit. laudati Bellarmin. cap. 12. Suarez  
f. 3. n. 5. & Laiman. cap. 5. n. 1.*

Dubium quare est de requisitis in  
eo, qui indulgentias est lucraturus, 167.  
Quem baptizatum, & largienti subditum  
esse oportere, planum est ex dictis, Præ-  
terea in eo exigitur

Primo; ut ligatus non sit majori ex-  
communicatione; quia censura hæc com-  
munibus Ecclesiæ suffragiis, sacrificiis &  
orationibus & bonis spiritualibus privati,  
*can. Omnis Christianus 32. can. Canonis-  
ca 105. Sc. 11. q. 3. ut plenius tradetur  
ad Rubr. seq. n. 30. & 34.*

Secundo; ut in gratia Dei consti-  
tutus sit tempore consecutionis; quia ad-  
strictus pœnæ æternæ incapax est per In-  
dulgencias obtinendæ remissionis pœnæ  
temporalis debitæ pro peccato, cum  
quia indulgentia non nisi verè pœnitenti-  
bus applicatur, *Extravag. & V. Quam  
quidem cit.* tum verò; quod provida ac  
prudenti gubernationi Dei non conve-  
niat, ut pœnam remittat ei, qui in cul-  
pa & inimicitia statu perseverat. *Tem-  
pore, inquam, consecutionis; quia ex  
communis DD. sensu ad indulgentias con-*

secutionem necessarium non est, ut præscripta opera omnia in statu gratiæ peragantur: sed sufficit, si in eo compleantur; quòd status gratiæ propter indulgentiæ effectum potius, quam præscriptum opus exigatur, *citt. Navarrus Notab. 19. n. 17. Suarez Disp. 52. f. 2. n. 7. Palao p. 8. n. 3. & Gobat n. 152. cum nonnullis excipiens casus, quibus Papa specialiter exigit; ut opera in statu gratiæ aut à verè penitentibus peragantur: vel opus, quod præscriptum est ad propitiandum Deum, cum istius offensa actuali, ut vg. communio sacrilega, est conjunctum: & generaliter consultum, asserens; ut quis omnia opera in Gratia Dei peragere, & istius statum procurare, perfectâ contritione præviâ, conetur.*

169. Tertio; ut pro indulgentiæ consecutione injunctum opus totum peragatur; cum enim concessio sub certa forma & conditione facta, illâ non servatâ, & istâ non impletâ, planè corruat, *c. Cum dilecta 22. de Rescript. & l. Mevius 55. ff. de Condit. & demonstr.* opera pro indulgentiæ consecutione præscripta non omnia, sed quædam duntaxat implens eam non consequetur; quòd non servet formam, nec impleat conditionem, sub qua ea est concessa, *citt. Navarrus n. 17. Suarez f. 5. n. 3. & Laiman. cap. 6. n. 3. qui talem indulgentiæ etiam partem non consequitur; quòd istius non pars partem, sed totum opus implenti tota sit promissa. Rectè tamen iidem DD. excipiunt casum, quò indulgentiæ concessæ sunt præscriptum opus, in quantum potest, implenti, sicut *Extravag. Unigenitus cit.* Jubilæi indulgentiæ concessæ sunt ad visitanda Apostolorum limina arripientibus iter, quantumvis impediti eò nequeant pervenire.*

170. An opera illa peragenda sint cum in-

tentione indulgentiæ lucrandi, *disensio* quædam est inter DD. euntes in partem utramque. Mihi satis certum est, & Ecclesiæ praxis docet, non exigi formalem, cum; quòd indulgentiæ concedi moribundis animam agentibus & omni sensu destitutis, iisdemque administrari soleat extremæ Unctionis Sacramentum; tum verò; quòd, formalem necessariam esse, non constet ex natura rei, neque ex summi Pontificis indulgentiam concedentis voluntate. Imò cum Salas *de LL. disp. 17. cap. 5. pr.* Coninck *de Sacrament. disp. 83. n. 166.* Card. de Lugo *de Sacram. disp. 27. n. 82. citt. Laiman. cap. 6. n. 5. & Palao p. 9. n. 8.* si alia intentio specialiter non præscribitur, sufficere existimo intentionem habituales & interpretativam, quam quilibet Christianus de salutis suæ remediis habere & generatim velle præsumitur, ut bona opera sua sibi profint, quantum possunt. Ratio est; quia subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur, *c. Ecclesia 3. Ut lite pend. ubi Glossa V. Successor & Panormit. n. 3.* Indulgentia autem subrogatur operibus satisfactoriis, satisfaciendi & debitum solvendi vim habentibus, licet quis debitum illud solvere nec formaliter nec virtualiter intendat, ex doctrina Suarez *Disp. 37. f. 3. n. 5.*

Dubium quintò est de indulgentiarum 172. duratione. Qua in re Regulare & perpetuum dogma est, earum, sicut concessionem, & inchoationem, sic & durationem, cessationemque pendere à voluntate concedentis, *arg. Reg. Omnia 1. de R. I.* Unde

Primò concessæ ad certum tempus aut sub conditione, illò demum finitò, & hac deficiente, cessant, *citt. Navarrus Notab. 31. n. 25. & Suarez Disp. 97. f. 5. n. 2.* Quod sicut certum, sic anceps est, quando cessent concessæ pro certa aliqua Festivi-

Festivitate, Qua in re licet DD. satis frequenti calculo receptum sit, eas à primis Vesperis ad secundas inclusivè durare, & cum his cessare: modernò tamen curiæ Apostolicæ stylò & Bullis spectatis, cit. Gobat n. 655. eas quidem cum primis vespers incipere, ait: at non finiiri cum secundis: sed durare usque ad occasum solis, sive, donec iste sub horizonte abditus planè occubuerit. Pro die non festo seu feria aliqua datas ab intempesta & media nocte usque ad hujusmodi noctem alteram durare existimat idem Gobat n. 658. hac in re secutus uñm populi, & leges etiam Romanas, diem sic accipientes, l. More 8. ff. de Feriis & c. Consuluit 24. de Offic. Deleg. Demum ad certos annos vg. ad septennium, vicennium concessas idem n. 662. inchoari, ait à die publicationis in loco factæ: quantumvis publicatio ex justa causa ad unum alterumve annum post Apostolicum Breve exhibitum differatur: nisi tamen istò, indulgentias ad septennium vg. proximum valituras, exprimatur; tales enim ipsò, quò Breve exhibitum est, annò inchoari: atque etiam, ne unus alterve annus intereat, publicandas, monuit n. 661.

173. Secundò concessæ Ad beneplacitum finiuntur morte concedentis; cum enim istius beneplacitum cum vita expiret, c. Si gratiosè 5. de Rescript. in 6. concedentis morte perinde, ut ad ejus vitam concessas, indulgentias intire, est necesse, cit. Gobat n. 643.

174. Tertio simpliciter & absolute sine certi temporis & conditionis appositione datæ per se perpetuò, etiam causâ, ob quam datæ sunt, cessante, & concedente mortuò, durant, c. Si super gratia 9. de Offic. deleg. in 6. cum sint gratia & beneficium principis, quod decet esse manfurum, Reg. 16. in 6. cit. Sylvester n. 16. Navarrus Notab. 31. n. 25. & Suarez

Disp. 57. s. 2. n. 6.

Per se, inquam; quia per accidens cessant, si intereat res, cui annexæ: vel locus, cui concessæ sunt, absque reedificationis spe destruat: uti &, si indulgentiæ, ita concessæ, à concedente, istius successore, vel superiore revocentur, ut desumitur ex Extravag. Quemadmodum 4. Extravag. Etsi Dominici 5. inter com. & summorum Pontificum, multas revocantium, praxis docet; cum enim legis instar ab istorum pendeant voluntate, ab eorum aliquo revocatæ non perdurabunt, cit. Sylvester n. 17. Navarrus n. 28. Suarez à n. 8. & alii, quibuscum laudatus Gobat rectè advertit, ex voluntate Papæ rationabiliter præsumpta Bullas Indulgentiarum revocatorias, publicatas Romæ, effectum in provinciis non statim sortiri, neque indulgentias cessare, antequam factæ revocationis notitia ad has moraliter potuerit pervenire; quòd, si ante hujusmodi notitiam cessarent, inde orirentur gravia incommoda & fidelium deceptiones.

## ARTICULUS IX.

### De Jubilæo,

#### SUMMARIUM.

177. Jubilæi ortus & propagatio.  
 178. Natura & differentia ab Indulgentia plenaria.  
 179. Ejus occasione facultates variæ concedantur.  
 180. Jubilæum solus Papa & variè concedit.  
 181. Annò sanctò durat à Vigilia ad Vigiliam Natalis Domini.  
 182. Ejus indulgentias lucrantur à Romano itinere impediti.

M m m a

183. Em.

183. *Extra Romam breviori tempore  
constringitur.*  
184. *Opera inungi solita sunt visitatio  
Ecclesiarum,*  
185. *Oratio in his persolvenda.*  
186. *Confessio, qua tamen & perfecta  
contritio non semper requiritur,*  
187. *Sacra communio,*  
188. *Jejunium triduanum,*  
189. *Et elemosyna largitio.*  
190. *Indulgentia Jubilæi semel tantum  
obtinetur.*  
191. *Opera omnia peragenda sunt unâ  
hebdomadâ.*  
192. *Verisimiliter tamen peragi duabus,*  
193. *Et absolutio à reservatis iterata,*  
194. *Aliquando etiam, finitò Jubilæo,  
peti potest.*  
195. *Durante Jubilæo, alia indulgentia  
plenaria:*  
196. *Non tamen indiscriminim om-  
nes,*  
197. *Uti & cætera gratia suspenduntur.*  
198. *Et finitò Jubilæo reviviscunt.*

177. **J**ubilæi sive Jobolæi nomine Hebræi denotabant annum quinquagesimum Remissionis, quo in veteri lege populus vacabat ab agricultura: possessiones sive prædia, agri, vineæ, venditæ, subjectæ hypothecæ &c. ad pristinos dominos sine pretio revertebantur: remittebantur debita & delicta, exules in patriam, servi in pristinam libertatem sine pretio redibant, Levitici cap. 15. & v. 10. & Numer. cap. 36. v. 4. In nova Lege ad veteris imitationem eò significatur annus Gratiæ, qui centesimò primum, *Extravag. Antiquorum* 1. dein quinquagesimò, *Extravag. Unigenitus* 2. demum & hodie vigesimò quintò, *Extravag. Quemadmodum* 4. inter cetera cum plenissima peccatorum hisque propter peccata remissionem & favoribus a-

lius, BB. Apostolorum limina visitantibus concessis, maximâ rituum solemnitate celebrari: utque celebritas & fidelium ad eam affluxus major in Urbe sit, aliæ Indulgentiæ plenariæ per totum Orbem suspendi solent, ut constat ex *Extravag. Quemadmodum cit.* ex *Constitut.* Gregorii XIII. quæ incipit *Quoniam sancti*, à Navarro de *Indulg. notab.* 33. & *Constitut.* Innocentii X. quæ incipit *Cum nos nuper*, pridie Non. Maij 1649. à Gobat de *Jubilæo, in præfat. relatis.* Quare

Jubilæum definitas Lezana in *Summa Q. Regul. Tom. 1. V. Jubilæum, n. 1.* rectè id esse ait, Indulgentiam plenariam, à summo Pontifice concessam fidelibus visitantibus certas Ecclesias & certa pia opera peragentibus cum facultate absolvendi à casibus reservatis & à censuris, vota commutandi &c. Jubilæum enim ab alia indulgentia plenaria eò differt, quòd ultra hujusmodi indulgentiam sive pœnæ pro peccatis remissionem plenissimam contineat alias gratias, scilicet facultatem eligendi confessarium ex approbato ab ordinario sive Episcopo, vel ipsius pœnitentis: vel loci, in quo excipiendæ sunt confessiones: vel ipsius confessarii: vel etiam secundum probabilem doctrinam ab Episcopo quocunque. A cujusmodi approbato confessario is, qui eum elegit, virtute Jubilæi valet

Imprimis absolvi ab omnibus casibus seu peccatis & Censuris, etiam Ordinario & ipsi Papæ reservatis: dummodo, qui absolvendus est, excommunicatus non sit à iudice: vel non excommunicatus, suspensus, aut interdictus, publicè & nominatim denunciatus: vel demum casus reservatus non sit in Bulla Cœnæ; ab his enim, si ipsa Jubilæi Bulla non exprimitur, absolvendi potestatem electo confessario competere, cum pluribus negat *cit.* Gobat n. 247. verisimiliter ta-

ter tamen cum aliis affirmat Palao *Tract.* 24. *disp. Univ.* p. 12. §. 2. n. 9.

Deinde vota quæcunque, etiam juramentò roborata, in alia etiam valoris aliquanto minoris, quam actio votò promissa est, opera commutare: exceptis tamen votis Castitatis perfectæ & Religionis: uti & iis, quorum commutatio cedit in præjudicium tertii, à quo suum favorem continens votum est acceptatum; cum tale relaxandi potestas in generali concessione non veniat, sed tacite excepta intelligatur, Suarez *de Voto cap.* 15. n. 10. *& cit.* Gobat n. 290.

Demum opera, quæ in Jubilæo præscripta sunt, in alia pia saltem aliunde indebita & æqualis cum illis valoris opera commutare: quam tamen potestatem ejusmodi confessarius non indiscriminatim cum omnibus: sed cum iis duntaxat, qui claustrò perpetuò, carcere, captivitate, infirmitate aut aliò quoque impedimentò detinentur; & propterea ipsa opera in Jubilæi Bulla expressa, vel eorum aliquod peragere moraliter, hoc est, sine notabili aut magna difficultate non valent, Laiman *Lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 8. n. 12. *& cit.* Gobat à n. 99.

180. Concedit Jubilæum summus Pontifex solus, ut non solum ex perpetua praxi, sed inde etiam constat; quòd solus ipse concedere valeat Indulgentiam plenariam, c. *Cum ex eo* 14. & cæteros favores largiri de Jure possit, c. *Dilectus* 15. *de Temp. Ordin.* ubi Glossa V. *Permissa*, Innocent. n. 2. Panorm. n. 3. & Sanctarell. *de Jubil.* cap. 3. *dub.* 2. A beo autem concedi ordinariè solet annò Sanctò, qui, ut dictum, hodie est vigesimus quintus: extraordinariè sive extra annum hunc ob graves & publicas causas, & plerumque non multò post evectionem ad apicem

181. summi Pontificatùs. Ordinarium sive anni Sancti Jubilæum inchoatur à Vigilia

Nativitatis Domini sive apertione Portæ sanctæ, quæ eo die fit ad initium primarum ejus Festi Vesperarum, & durat usque ad finem sequentis anni sive ad Vigiliam & primas vespèras ejusdem festivitatis anni sequentis, & ipsam portæ sanctæ reclusionem: quæ fit ad finem Vesperarum, Navarrus *de Indulg. notab.* 246 & Filliucius *Tract.* 8. *Q. Q. Moral.* n. 250. quorum uterque Romæ scripsit.

Neque, ut primò occurfu apparet, cum hoc pugnat, & Jubilæum usque ad ipsam Natalis Domini Octavam durare persuadet; quòd in indictionis Bullis Apostolicis disertè asseratur, id duraturum usque ad finem anni; quia Jubilæi & secundum Dionysium cognomentò Exiguum, Ecclesiasticum annum non à Calendis Januariis: sed ad has præcedente Natalis Domini festivitate & ipsa istius Vigilia inchoari ipsis Bullis illis insinuat; cum his, licet eò, qui Sanctum immediatè præcedit, annò emanent, eòdem tamen annò communi imminens Vigilia Nativitatis Domini vocetur Vigilia anni proxime venturi, Baronius *Martyrolog. Calend. Januarij*, Navarrus *Notab. cit.* & Gobat, n. 17. Unde DD. isti rectè inferunt, eum, qui confessionem & sacram communionem pro Jubilæo peragendam ultra hujusmodi primas Vespèras & Portæ sanctæ reclusionem, aut in ipsam Natalis Domini festivitatem differret, indulgentias non lucraturum; quòd cum ipsis Vespèris & Portæ reclusionem Jubilæi annus jam sit exactus.

Quoniam verò multi sunt, qui in 182. anni Sancti Jubileo ad BB. Apostolorum limina accedere, ut maximè vellent, justà aliquà causâ impediende, non possunt, ipsorum etiam animabus paternè consuere volens summus Pontifex omnibus ac singulis sanctimonialibus, anachoretis & eremitis, nec non carceratis & infirmis, qui, lon-

M m m 3

qui, longæ incarcerationis & diuturnæ infirmitatis impedimentis cessantibus, Romam venturi essent, concedere solet; ut, si verè poenitentes & confessi pia opera cujusvis statui & conditioni cum Romæ inunctis proportionata, Romæ à Vicario de Urbe, extra eam autem à locorum Ordinariis & superioribus Regularibus præscribenda, peragant, Jubilæi illius indulgentiarum & cæterarum gratiarum participes fieri etiam ipsi possunt, juxta Bullam Innocentii X. die 12. Febr. 1650. editam & relatam à cit. Gobat n. 29.

183. Extra urbem pro lucrands Jubilæi Indulgentiis aliquando, ut post annum Sanctum proximè lapsum, duorum: aliquando trium: aliquando unius mensis: communiter, in extraordinariis præsertim Jubilæis, duarum hebdomadarum, quatuordecim; imò apud Laiman cit. cap. 8. n. 7. in Germania nostra & extra hanc etiam apud cit. Palao §. 3. n. 3. & Cottonium Lib. 2. controvers. 12. à n. 16. quindecim dierum à locorum Ordinariis determinandorum spatium concedi consuevit, teste & hanc rem accuratè excutiente laudato Gobat n. 63.

184. Opera in Jubilæi Bullis fere sex præscribuntur. Primum est Visitatio Ecclesiarum, in Urbe quatuor, scilicet BB. Apostolorum Petri & Pauli Basilicarum, S. Joannis & S. Mariæ Majoris Ecclesiarum: quæ à Romanis non tantum civibus, sed incolis quibuscunque Romæ per longum tempus v.g. per annum degentibus, semel in die per triginta continuos vel interpolatos: à forensibus & peregrinis, per breve tempus ibi morantibus, per quindecim ejusmodi dies sunt obervandæ. Extra Urbem visitandæ sunt Ecclesiæ aut etiam capellæ quatuor vel pauciores, aut etiam una, si Papæ mens, Bullâ expressa, patiatur, ab ordinario loci præscriptæ. Si iste plures v.g. quinque aut sex

designet, non necessariò omnes visitandæ sunt: sed tot obire sufficit, quot præscriptæ sunt Romanis; quòd locorum Ordinarii conditionibus, pro lucrando Jubilæo à Papa præscriptis, aliquas addere non possint, cit. Gobat n. 126.

Alterum, Oratio vocalis & devota, 185. quinque *Pater & Ave*, si, ut aliquando fit, totidem determinatè, vel etiam per aliquod temporis spatium oratio exigatur. Si hoc omnino indeterminatè præscribitur, brevior, imò minimam v.g. Unius *Pater & Ave* sufficere, existimant Suarez de Penit. disp. 52. f. 8. n. 5. & cit. Gobat n. 140. quamvis longior & meritò suadeat uterque. Ea autem Oratio faciendâ est ad intentionem Papæ, v.g. pro exaltatione S. Mariæ Ecclesiæ, extirpatione Hæresum, Christianorum Principum concordia, pro salute Populi Christiani, pro impetranda summo Pontifici gratia ad rectè gubernandam Ecclesiam Universalem, Diana p. 1. trañ. 11. resol. 33. & Card. de Lugo de Penit. disp. 27. n. 65.

Tertium, Confessio Extravag. cit. 186. & Bullis aliis, quibus summi Pontifices indulgentiam Ecclesiis visitantibus largiuntur, si fuerint verè poenitentes & confessi. Et iis quidem, qui alicujus peccati mortalis nondum Ecclesiæ clavibus subiecti conscientiam habent, si Jubilæi indulgentias lucrari velint, necessariâ esse confessionem actualem, nec sufficere contritionem etiam Charitate perfectam, cum cit. Navarro notab. 18. docent Bellarm. Lib. 1. de Indulg. cap. 13. & Sanctarell. de Jubil. cap. 14. dub. 2. Ratio est; quia ejusmodi verbis confessio clarè exigitur ut opus injunctum, & non ut mera dispositio; cum Constitutionum Apostolicarum verba accipiendâ sint in propria significatione, c. Intelligentia 6. de V. f. particula autem *Et* propriè accepta significationem habeat copulativam; ut ad ejusmo-

ejusmodi propositionem verificandam utriusque partis per eam copulatam veritas exigatur, l. *Si heredi §. ff. de Condit. instituit.* A talibus autem ipsam confessionem exigendi ratio justissima fuit; quod hominibus sibi consciis peccati mortalis ad lucrandas indulgentias necessaria, & à summis PP. præscripta sit vera pœnitentia: rari autem homines sint, qui veram & ad peccati mortalis deletionem sufficientem pœnitentiam agant, nisi quando volunt confiteri. Quæ licet ita sint, casu tamen, quò semel ritè confessus, antequam cætera opera perficiat, labitur in peccatum mortale, Jubilæi indulgentias lucrari potest, sine nova confessione: dummodo præviâ contritione perfectâ cætera opera compleat in statu Gratiæ Dei; quia Bulla confessionem ut summum unam præscribit, cit. Gobat n. 157. cum cit. de Lugo n. 100. & aliis confessionem non exigens ab eo, qui peccati mortalis conscientiam non habet; quòd Ecclesia, cum præscribit confessionem, eam exigere soleat à consciis peccati mortalis, c. *Omnis* 12. ut dictum n. 18.

Quantumvis etiam Jubilæi Bullæ indulgentiam plenariam largiantur *Contritionis & Confessio*, ad peccatorum tamen etiam lethaliū confessionem non exigunt contritionem perfectam, sed attritionem sufficere, idem rectè adnotavit n. 155, quòd Contritionis nomine non rarò denotetur imperfecta, & hæc eò intelligatur à Tridentino *Sess. 14. cap. 4.* Tria hæc in Jubilæis anni Sancti. Extra hunc autem præscribi solitorum &

187. Quartum opus est sacra Communio: quam, licet in Bullis Jubilæi anni Sancti non exprimat, ad eam tamen etiam indulgentiæ consecutionem necessariò ob-eundam, supponit Filliucius apud cit. Gobat. n. 176. eam in cæteris Jubilæis ita necessariam, docens; ut, qui propter peri-

culum vomitus aut aliud impedimentum Eucharistiam nequeunt sumere, sine eju in alia pia opera commutatione indulgentias non lucentur: atque idcirco, pueros ad S. Communionem facilius Jubilæi, quàm aliò tempore admittendos, præter alios DD. censet Laiman *Lib. 5. tract. 4. cap. 4. n. 3.* Ea autem, licet unica sufficiat: & si Bulla aliud non præscribat, quovis die intra hebdomadas designatas obiri valeat, usu tamen crebriori receptum & consultum etiam est, ut post alia opera jam peracta peragatur, præviâ peccatorum confessione & in statu gratiæ: qui omnino necessarius est, quando S. Eucharistiæ sumptione præscripta opera complentur.

188. Quintum, Jejunium, tribus diebus, scilicet Feriis IV. & VI. ac Sabbatho, eodem modò cum vel sine abstinentia à lacticiis obeundum, quòd aliorum ab Ecclesia præscriptorum jejuniorum observatio à fidelibus exigi solet. Unde, si Jubilæi indulgentias lucrari velint, triduanum jejunium obire debent etiam pueri & alii, à jejuniorum ab Ecclesia præscriptorum observatione ex qua cunque causa excusati: etsi infirmis, pauperibus, operariis & aliis sine notabili difficultate vel detrimento jejunare non valentibus jejunii loco alia pia opera æquivalentia per viam commutationis injungi possint, cit. Laiman *cap. 8. n. 12.* Lezana n. 12. & Gobat n. 210.

189. Sextum, largitio Eleemosynæ, sive præstatio alicujus ex septem operibus Misericordiæ corporalis; cum enim horum cujusvis præstatio vera eleemosyna sit, & Bullæ Jubilæi eleemosynam generatim præscribant, eorum cujusvis exhibitione conditioni de faciendâ eleemosyna satisfiet ex mente S. Thomæ 2. 2. q. 32. art. 5. Quantumvis autem, cum eleemosyna simpliciter vel *Pro arbitrio* vel

*Pro ut*



Prout singulis charitas suggererit, præscripta est, quamvis etiam minimam, utilem tamen dare sufficiat, ut *arg. c. Ex parte 18. de Censibus & Reg. In obscuris 30. in 6.* Dianâ & Bonacinâ allegatis, non malè existimat Gobat *n. 219.* casu tamen, quò Bulla *Pro cuiusque facultate* dandam exprimit, eam dandam subdit juxta cuiusque conditionem; ac proinde à Principibus, magistratibus ac divitibus largiorem, quàm à pauperibus sive iis, qui mendicando aut propriis manibus laborando victum quaerunt, erogandam: neque multùm referre, an elemosynam suâ vel alienâ manu quis erogat: dummodo eam erogat de suo.

190. Dubium nunc primò est, an præscripta opera repetens Jubilæi indulgentiam bis aut sæpius lucretur. Ratio dubitandi est; quòd sit beneficium Principis sine ullo cuiusquam præjudicio indulgentiam plenariam largientis ei, qui præscripta opera quovis mense vel hebdomadâ est peracturus: cujusmodi beneficia cum largissimam interpretationem admittant; iteratæ consecutioni indulgentiæ locus erit, si præscripta opera iterentur, ut existimant Rodriguez *Summa Tom. 1. q. 184. n. 14* & Henriquez *Lib. 7. cap. 1. pr. contra citr. Navarrum Notab. 31. n. 36.* Suarez *disp. 57. s. 1. n. 7.* Laiman *cap. 8. n. 8.* & Palao *p. 11. §. 3. n. 4.* & alios: qui, licet pro perpetuarum, sive absolutè & sine ulla temporis determinatione concessarum indulgentiarum assecutione præscripta opera cum iterato earum lucro repeti posse, facillè concedant, id tamen meritò negant de Jubilæi & aliis indulgentiis plenariis temporaneis sive cum temporis præsertim brevis determinatione concessis, ex præsumpta voluntate Papæ, ipsâ certè hujusmodi temporis determinatione indicantis, indulgentiam semel tantùm concedi: & duorum mensiumve mensium

aut hebdomadarum determinationem spectare solam commoditatem fidelium; ut, qui præscripta opera commodè peragere nequeunt uno, ea implere altero tempore possint, ut planè colligitur ex forma concessionis Jubilæi, expressa Bullis Apostolicis indulgentiam cum disjunctione concedentibus iis, *Qui prima hebdomada post publicationem vel in sequenti post eam: Qui in una alterius ex duabus hebdomadâ: Qui in eadem seu immediatè sequenti hebdomada jejunaverint &c.* quibus disjunctivis particulis apertè docemur, indulgentias in altera solùm hebdomade, ac proinde semel duntaxat obtineri. Quò tamen non obstante, laudabiliter ac providè agunt, qui opera præscripta iterant, & mense vel hebdomade utraque peragunt: non ad geminæ, sed ad unius indulgentiæ plenariæ certiorè consecutionem.

Dubium secundò est, an præscripta 191. opera unâ eadèmq; hebdomadâ omnia sint peragenda. Securius & verius etiam est, eadèmq; omnia peragenda; quòd concessio etiam liberalis jure non profit, nisi observetur forma & impleatur conditio eâ requisita, *l. Si cum filius 2. §. 1. Et generaliter 3. ff. de Donat.* Jubilæi autem indulgentia difertè concedatur, omnia opera peragentibus unâ ex duabus hebdomadis designatis; cum Papa his ferè verbis utatur, *Qui Ecclesias designatas visiterint, & feriâ quartâ, sextâ, & Sabbatidò alterius ex duabus hebdomadâ jejunaverint, pariterque sua peccata confessi & sanctissima communionem refecti fuerint, elemosynamque tribuerint &c.* Accedit horum verborum, si ambigua essent, optima interpretatio Consuetudo seu praxis fidelium, opera præscripta sollicitè omnia peragentium in una, & credentium indulgentiam aliter se non consecuturos, *citr. Laiman n. 10. Card. de Lugo disp. 27. n. 205. &c.*

205. & Gobat n. 212. salubriter monens eum, qui, ceteris operibus impletis, unum v.g. jejunium feriae quartae omisisset, ut pro indulgentiae consecutione necessariam istius in aliud pium opus commutationem à confessario petat. Quantumvis autem haec Opinio securior, & in praxi tenenda sit, oppositam tamen, in iunctorum operum aliquam in prima, reliquam parte in alia hebdomade peractam indulgentiam obtineri sustinentem, probabilitate non carere, cum *cit.* Laiman advertit *cit.* Palao §. 3. n. 19.

192. Quantumvis etiam securiorem incedat viam, qui omnia opera exequitur in proprii domicilii vel alio publicati Jubilaei loco, verius tamen indulgentias etiam lucratur is, qui operum parte v.g. Ecclesiarum visitatione in tali loco peracta, reliqua implet in alio, ad quem v.g. negotiorum causam se contulit, *cit.* Laiman n. 11. Lugo n. 124. & Gobat n. 89. Ratio est; quia per ipsam praesentiam in loco publicati Jubilaei quilibet in eo existens ad eumque veniens plenariam indulgentiam percipiendi jus acquirit, hoc ipso; quod omnibus Jubilaei durantis tempore in eo praesentibus concedatur: quod jure semel quaesitum non privatur per egressum, sed id secum defert, *arg. Reg. Privilegium 7. in 6.* Dummodo tamen in Jubilaei publicati loco obierit vel obeat Ecclesias ibi designatas: vel, si ad eas accedere nequeat, & in loco, ad quem transit, nullae sint designatae, visitationis in aliud pium opus à confessario petat commutationem.

193. Dubium tertio est, an, in iunctis operibus in prima rite peractis, quis à reservato, secundam hebdomadam commissam, absolutionem & voti eadem editi commutationem consequi denuo possit. Negativam sustinent non pauci; quod respectu talis Jubilaei finitum & indulgentia ob-

tenta jam sit; ac proinde illius obtinendae occasione indulta à reservatis absolvendi & vota commutandi facultas respectu talis cesset. Sed, sicut benignior, sic verisimilior est affirmativa: quae omnes ex iis, qui indulgentiae iteratae consecutioni locum esse aiunt: & ex iis etiam, qui hoc negant, Palao *cit.* §. 3. n. 6. & alii propugnant. Rationem reddunt; quod, licet à reservatis absolvendi & vota commutandi facultas concessa sit occasione Indulgentiae, eam tamen ad hanc eamve lucrandi, quem quisque tenet, modum à summo Pontifice restrictam, non constet; quod, licet indulgentiae concessio ob iustitiam & rationabilis causa defectum esset nulla, valida tamen foret concessio potestatis absolvendi & commutandi: neque hanc potestatem ad indulgentias restringi fuerit expediens, cum; quia indulgentiae consecutio, soli Deo nota, homines pro ejus assecutione in iuncta opera peragentes latet; ut propterea opera illa laudabiliter & utiliter repetantur: tum verò; quod, potestatem illam toto Jubilaei tempore generaliter durare, fidelibus sit valde salutare; atque idcirco, eam perseverare Papam voluisse, merito praesumatur.

Quin eum, qui peccati reservati in confessione Jubilaei tempore peracta oblitus, ab eoque ob doloris, propositi vel etiam integritatis defectum invalidè absolutus est, ab illo post Jubilaei tempus jam exactum absolvi: & ab eo, qui voti sui oblitus fuit, aut ejus commutationem petere neglexit, commutationem peti postea posse, docent *cit.* Henriquez *cap. 11. n. 4.* Sanctarell. *cap. 13. ndr. 1.* Palao §. 3. n. 9. & Gobat à n. 263. & 308. Ratio est; quod Jubilaeo semel obtento sive pro ejus consecutione in iunctis operibus impletis acquiratur jus omni tempore eligendi confessarium pro obtinendis iis gratis,

N n n

gratias, quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, & obtentæ non fuerunt; quod in Bulla Jubilæi tempus operum executioni duntaxat; non etiam gratiarum perceptioni sit determinatum; sed opera intra præscriptum exequenti hæc sine certi temporis mentione sit indulta.

195. Dubium quartum est de Indulgentiarum & facultatum suspensione istiusque duratione. Cujus resolutio varia est.

Et primò quidem, indulgentias solummodo plenarias durante Jubilæo suspensas, liquet ex *cit. Extravag. Quemadmodum & cit. constitutione Gregoriana*. Unde, partialia suum vigorem retinere, certum est; quod disertè solas plenarias excipiant Bullæ veteres: à quibus recentiores, indulgentias omnes & singulas excipientes, recipiunt interpretationem; cum, quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, id veterum legum Constitutionumque Regulis relictum, intelligatur ex Rescripto Imp. Theodosii & Valent. l. *Præcipimus* 32. in fine C. de Appellat. *cit. Santarell. cap. 5. dub. 7. Fillucius n. 251. & Lezanan. 5.*

Secundò, ex plenariis etiam exceptæ, nec suspensæ sunt imprimis concessæ Basilicis & Ecclesiis Urbis Romanæ, etiam extra istius moenia sitis; quod in his cesset finis intentus per suspensionem; ne scilicet fideles à peregrinatione Romana retrahantur, si facultates Romæ propositas domi consequi valeant: qui, cum non cesset respectu Ecclesiarum extra Romam existentium, & habentium communicationem indulgentiarum uni vel pluribus Ecclesiis Romanis indultarum, ipsis communicatio hæc annò Sanctò durante quoad indulgentias non prodest, Zerola in *Praxi Episc. V. Annus sanctus, n. 3. & cit. Gobat n. 41.* Deinde indulgentiæ concessæ per Bullam Cruciatæ; quia istius Bullæ privilegia dantur per modum con-

tractus; cum pro iis pendì debeant duo Regales: privilegia autem ita concessa revocata non intelligantur per clausulam generalem: nec revocari valeant, nisi facta aliquâ compensatione, *cit. Lezana n. 5. Palao §. 1. n. 10. & Diana p. 1. trabl. 11. resol. 97.* Præterea indulgentiæ concessæ pro defunctis, saltem quæ extra Jubilæum applicari nequeunt vivis. Inò etiam, quæ his poterant applicari, saltem ante Jubilæum anni Sancti proximè celebrati, *cit. Laiman n. 3. Palao n. 7. & Gobat n. 47.* Proximò autem Jubilæo etiam has revocatas didicimus post dubitationem & inquisitionem satis diuturnam; quantumvis in his cesset ratio ac finis suspensionis. Demum concessæ pro articulo mortis; has enim etiam suspendi, licet nonnulli asserant, cum aliis tamen verisimiliùs negat *cit. Gobat n. 44.* cum propter summorum PP. duorum declarationem: tum verò; quod suspensionis ratio ac finis in moribundis omnino cesset.

Tertiò cum indulgentiis plenariis revocantur facultates eligendi confessariù cum potestate absolvendi à reservatis & vota commutandi, plenariæ indulgentiæ acquirendæ, sive ad eam fideles invitandi causâ concessæ: non etiam facultates absolvendi à reservatis &c. quas Regulares & alii per privilegia Apostolica & independenter ab indulgentiis habent, ut ex communi DD. sententia docet & eruditè ostendit *cit. de Lugo disp. 20. n. 145.*

Quartò, ea indulgentiarum & facultatum suspensio inchoatur ab ipsa aptione Portæ sanctæ, & durat usque ad istius reclusionem; quarum illa initio, ista in fine primarum Vesperarum Vigiliæ Nativitatis Domini fit: quæ proinde reclusionem factâ, indulgentiæ, quæ erant suspensæ, omnes statim & sine ulla Papæ innovatione vel confirmatione reviviscunt, *cit. Palao §. 1. n. 13. & Gobat d. n. 50.*

TITU.